

STFIA DIDA

R. P. FR. DIDACI

STELLÆ,

HISPANI, ORDINIS MINORVM REGVLARIS OBSERVANTIÆ,

DE CONTEMNENDIS MVNDI vanitatibus, Libri tres.

RECENTER EX HISPANICA LINgua in Italicam traducti, per Hieremiam Foresti; iam verò ex Italica in Latinam translati, à reuerendo patre, PETRO BVRGVNDO, Societatis IESV, nunc recogniti & emendati.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Arnoldi Mylij.
Anno clↄ. Iↄ. XCVIII.
Cum gratia & priuilegio S. Cæs. Maiest.

Liber primus, Tractat de vanitatibus mundi.
Secundus, De peruersis mundi moribus ac fraudibus.
Tertius, Quomodo his contemptis ac vitatis Deo sit seruiendum.

TYPOGRAPHVS PIO LECTORI S.

QVOD me tenet ſtudium iuuandi bonos, & alios ad pietatem excitandi, nō ſinit, vt, ſi quid occurrat, quod ad ipſorū in pietate progreſſum & religionē facere videatur, illud ſupprimam; ſed quàm primū, vel aliquid meis rationibus detrahendo, in lucem proferam, quo ſuū illi animum expleant, ſuoq; pietatis ſtudio fruantur. Cùm igitur nuper datus mihi legendus libellus eſſet, qui contemptum vanitatum mundi contineret, operæ pretium duxi typis mandare, quò in plures, qui religione & pietate ducuntur, liber manaret. Eſt autē is ab authore quidem Hiſpanica lingua euulgatus: inde Italicè conſcriptus. Nunc demum à P. Petro Burgundo Societatis IESV latinitate donatus. Si fortè cuipiam videbitur parum purè & politè loqui, non tam interpreti, quàm ſimplicitati materiæ adſcribat. Quæ enim incitato quodam ardentique ſpiritu piè proferuntur, in ijs, verborum pompa neglecta, rerum momenta ponderantur. Sed & quæ ver-

ba lautius incedunt, suo fastu, vel nauseam mouent, vel superbo ingressu legentem audientemq; remorantur, nec ad rerum contemplationem animum assurgere patiuntur. Cui verò delicatæ sunt aures, habet alios, qui verborum lenocinijs eas demulceant, quos audiens, vel ad aurium vsque fastidium poterit audire. Non hic bene loqui, quod paucorum est : sed bene viuere, quod omnium interest, docetur. Sed neq; humilitas styli sic abiecta est, vt auribus tersis indigna sit ; tamen magis animos, quàm aures purgatas requirit. Ergo, qui ludibria huius vitæ, qui mundi vanitates videre, qui, quàm sint contemnendæ scire desiderat, in hoc libello ceu in tabella licebit ei intueri. Te verò pie lector, id vnum monebo, vt hoc velut itineris compendio ad cœlestem patriam petendam vtaris, qua potius, vt mei sis memor, etiam etiamq; rogo. Vale.

ADMODVM REVERENDO PATRI, NEC NON DOMINO, PHILIPPO Clarissimi Domini PAVLI, CONTARINI filio, Societatis Iesu.

QVOD, Reuerende Pater, mundi vanitate cõtempta, ijsq; rebus, quas plerique mortalium plurimi ducunt, diuitijs nimirum, nobilitate, delitijs, voluptatibus, gloria, honoribus, parẽtibus, amicis relictis, singulari Dei Opt. Max. gratia, sacro eius cultui te manciparis, institutum Societatis IESV amplexus; incredibili quodam dolore sum affectus, quemadmodum in Gregorijs ad te missis vtcunq; significaui, quoniam me patrono clarissimo & amico priuatum videbam. Superioribus autem literis tuis, prudentiæ pietatisq; Christianæ plenissimis non nihil consolationis accepi. Nunc verò Venetijs degens in illustri & sancta familia, ex clarissima & pientissima Domina, Vacua Matre, itemq; fratribus tuis & cognatis intellexi, partim quod ea cum animi lætitia & constantia in illa Societate viuas, vt in eius instituto animus tuus planè conquiescat; par-

tim quod ſacris ordinibus initiatus, iam tuas Deo primitias obtuleris, quod vtiq; animum meum non mediocriter recreauit. Cumq; tibi gratificandi ſtudio varias rationes inirem, quibus id præſtarem, nulla potior modo ſuccurrit, quàm ſi libello de contemptu Mundi, quem à quodã ex meis intimis dono accepi, eo dem te quoque donarem, tum quod eiuſmodi ſit, qui ab omnibus magni debeat æſtimari, tum quod fidem faciet amoris in te mei: tum quod mei memoriam tibi ſubinde renouaturus eſt, & occaſionem (vt mihi vix dubium eſt) daturus, Deum pro me rogandi, cùm te nõ lateat, quàm ſim eiuſcemodi auxilij indigus, qui in hoc periculoſo mundi vanitatis pelago verſor. Dominus te in dies magis ac magis ſua diuina gratia augeat & roboret.

T.R.P. addictiſſimus Petrus Franciſcus Zinus Veronenſis.

CONTEMPTVS VANITATVM MVNDI, IN TRES PARTES DIVISVS, AVTHORE REVERENDO P. FR. DIDACO STELLA,

Hiſpano, Ordinis Minorum, lingua quidem vernacula ab authore conſcriptus, ſed recens ex Hiſpanica lingua in Italicam traductus per HIEREMIAM FORESTI, nunc denique ex Italico in linguam Latinam conuerſus à reuerendo P. PETRO BVRGVNDO Societatis IESV.

Primæ partis Caput primum. Quomodo, vt fruamur Deo, mundi vanitas ſit contemnenda.

NEMO poteſt duobus Dominis ſeruire, dicit CHRISTVS redemptor noſter. Suauis eſt diuina conſolatio, non quidem omnibus, ſed ijs, qui ſpernunt vanitatem mundi. Fieri etenim non poteſt, vt quis Deo fruatur, & ſimul inordinatè appetat res huius vitæ. Omnes quidem cuperent frui ſuaui conuer- *Matth. 6.*

 uer-

uersatione Domini, sed pauci volunt priuata sua commoda relinquere, & ex animo bona terrena contemnere. Desiderāt quidem interiorem animæ consolationem, modò tamen simul suis animi cupiditatibus indulgere possint: tu verò qui vis sequi Christum prius oportet abneges te ipsum, vt relicto mundo, perfruaris Christo. Contrarij sunt sibi mutuo Iesus Chiistus, & diabolus, & cùm nihil habeāt inter se commune, simul habitare non possunt.

Expedi teipsum ab amore mundi, si vis Deum ad animam tuam habere accessum. Neutiquam enim poteris gustare Deum, nisi prius bona huius mūdi eiusq; voluptates, tibi nauseam ac fastidium pariant. Postquam verò res huius seculi tanquam acerbas oderis, tunc demum animam tuam consolationis Iesu Christi capacem, planè tibi persuaseris.

Quemadmodum impossibile est, vno oculo respicere versus cœlum, altero vero ad terram: sic etiā ratio non patitur, vt quandiu affectus es erga res terrenas, possis frui consolationibus spiritualibus. Si igitur velis frui Deo, necessarium est, vt te priues omni consolatione humana, cùm impediat diuinam.

Ne

Ne quæras Deum in hortis & paſcuis delitiarum huius mundi, cùm Moyſes eum inuenerit in ſpinis pœnitentiæ, & aſperitate vitæ: Quia verò mundani eum quærunt in delitijs, non merentur inuenire. Ex animo fuge omnem conſolationem mundanam, & conſolaberis à Deo. Euelle ab anima tua amorem mundi, vt locus relinquatur, in quo diuinus inſeratur, & radices ſuas figat.

Non permiſit DEVS vt ſibi & Dagoni vnum idemque tribueretur altare, nec hoc vnquam potuerunt obtinere Philiſtæi, quantumuis ad hoc totis neruis cõtenderent. Non vult Deus vt ibi locum habeat idolum peccati, quod tu adores, vbi reperitur perſona eius diuina. Non patitur, vt ipſe & mundus ſimul adorentur, quod ſi vis amare Deum, neceſſe eſt, vt odio habeas gloriam huius ſeculi.

Nunquam apparuit Deus Moyſi in Ægypto moranti, vt nec tu ſperes eum videre inter tenebras huius ſæculi. Renuncia prius Pharaonis palatio per contemptum honorum & vanitatum præſentiũ; quia in deſerto vitæ ſolitariæ inuenies tanquam alter Moſes auxilium Dei, & cõſolationem ſpiritualem. Quandiu verò eſt in te farina Ægypti, non guſtabis man

na cœleſte. Sed habes adhuc ſtomachum malis humoribus repletum. Hinc fit vt non admittas cibum illum cœleſtem.

Sperne ex corde omnia quæ ſub hoc cœlo te oblectant, & poteris eleuare animam tuam ſupra cœlum, & accipere non nullam delitiarum ipſius partem. Multi volunt vtramque ſimul complecti, cùm poſtquam addixerunt ſe Deo, adhuc adhærent mundi delitijs. Non reuelat Deus arcana ſua coram teſtibus, nec verſari cupit cum inquieto, qui ſe occupat varijs negotijs. Nec amatur aliquis à mundo, qui non prius fuerit repulſus à Chriſto: nec amatur aliquis à Chriſto, niſi is qui ſpernit mundum. Non potes amare Deum niſi teipſum ſpernas, & mundum propter Deum. In hoc videbis vtrum ames Deũ, ſi primùm renuntiaueris amori mundano. Quanto igitur magis amabis Deum, tanto minoris facies res terrenas.

Non vult Deus cor noſtrum eſſe diuiſum, nec in plures partes diſſectum, ſed integrum amat: ac propterea, ne amittas tam præclarum bonum, parui ducas ea quæ ſunt falſa, & acquires perfectam Spiritus conſolationem.

CA-

CAPVT II.

De pace cordis.

PAcem relinquo vobis, pacē meam do *Ioan.14.*
vobis, dicit Dominus. Quamdiu ſer-
uies mundo, ſemper viues in contentio-
ne: Amor rerum carnalium impedit bo-
na ſpiritualia. Amatores mundi viuunt
in continuo tormento. Surſum deorſum-
que mundus ſemper voluitur, & voluen-
do ſuos amatores occidit. Mundani pa-
cem cordis nunquam conſequentur. A-
ma Deum, & habebis vitam. Abnega te-
ipſum, & cōſequeris veram pacem. Quis
conſequitur verā pacem? humilis & man
ſuetus corde. Ab omni malitia cor tuum
expurga, & conſequeris pacem. Diſce te i-
pſum in omni re vincere, & habebis pa-
cem internam. Frange effrænes tuos appe
titus, & remoue à te deſideria vana mun-
di huius: voluptates propelle, vt viuas pa-
cificus & quietus. Ita nihil poterit te tur-
bare, nec quicquam erit tibi moleſtum.
Deniq; ſpiritus ſuauitate gaudebis, imò
paradyſum in terra obtinebis. Nihil po-
teſt accidere iuſto, quod eū pert urbet. Pro
priæ tuæ paſſiones tibi bellum inferunt,

& cùm intus inimicos habeas, de ijs, qui foris ſunt, cõquereris? Magnus Dominus, qui ſibiipſi imperat. Hoc demum eſt inſigne noſtræ voluntatis dominiũ, vt maiorem poteſtatem habeat, quàm Reges & Imperatores mundi, qui non poſſunt amicos ex inimicis facere, ſicut voluntas noſtra volendo facere poteſt, cùm ſit ſuorum appetituum libera dominatrix. Cur tibi moleſtæ ſunt iniuriæ & aduerſitates quæcunque, niſi quia illas auerſaris? Bellum ijs infers tanquam hoſtibus, quid mirum ſi te infeſtent? Quod ſi eas amares, non eſſent moleſtæ, ſed potius iucundæ. Sanctus Andreas gloriabatur in cruce: & glorioſus ille pater S. Franciſcus, infirmitates vocabat ſuas ſorores. Quare hi alioqui ſancti, gloriabantur in tribulationibus, quæ tibi diſplicent? Quia illis gratum erat, quod tibi diſplicet. Ama id quod ſancti amabant, cùm id penes te ſitum ſit, & acquires conſolationem, quam illi habebant in tribulationibus. Si perſecutiones tibi adferunt moleſtiam, non conqueraris de perſequente, ſed potius de teipſo: cur, cùm tua in poteſtate ſit àmare perſecutionem, eam fugis? Cõforma te quæſo IESV CHRISTO, & ſis amicus crucis & paſſionis. Te ipſum

ſum totum ipſi reſigna,& ama id, quod ipſe amauit,& videbis quantam dulcedinem & ſuauitatem experieris, in rebus quæ palato diſplicent. Intra teipſum ingredere, & prorſus reſeca affectiones & deſideria mundi, nec vnquam inuenies cauſam de aliquo conquerendi. Quod ſi aliquid tibi videtur eſſe durum, aduerſum teipſum inſurge, & vindica te de inimicis tuis internis,qui te affligunt, nec conquueraris de externis, cùm te,niſi volentem, lædere non poſſint. Sicut tinea pannum conſumit, & vermis rodit lignum ex quo prodijt, ſic hæc onera, quæ adeò premunt cor tuum,oriuntur ex propria tua concupiſcentia:in te ſumunt nutrimentum,& ſub finem vitæ, inſtar viperarum perrumpent viſcera matris, ex qua fuerunt generatæ. O quàm pacificè viueres, ſi verè eſſes mortificatus. Vera eſt ſententia, quod nullus lædatur, niſi à ſeipſo. Tu ipſe tibi inimicus es. Totum bonum conſiſtit in virtute animi, non nocet, ſi quis adimat libertatem, honores,aut diuitias. Quid? Tantum abeſt, vt noceant perſecutiones, imò præbent materiam maioris meriti. Quod ſi gloria Chriſtiani eſt crux Ieſu Chriſti, illam amplectere, nec poterit quiſquam tibi no

cere, imò consequeris veram quietem spiritus, viuesque pacificus & hilaris.

CAPVT III.

Quomodo vanitas mundi cognoscatur ex vita Christi

Ephes. 5. ESTote imitatores Christi, sicut filij charissimi, dicit Apostolus. Totum tuum studium in eo positum sit, vt te conformes vitæ Saluatoris. Quod si nõ superesset alia ratio ad condemnandum vanitatem mundi, quàm vita Christi, & exemplum quod nobis dedit, hoc solùm sufficeret ad confusionem eorum, qui solo nomine sunt Christiani. Pudeat viuere in voluptatibus & delicijs, cùm dux noster vixerit in magnis ignominijs & periculis. Nec est miles quisquam, qui videns mori ducem suum, non se obijciat periculis mortis, oblitus vitæ propriæ & deliciarum. Si quęris honorem, cum vides ducem tuum inhonorari, magnum indiciũ est, te non esse sub ipsius vexillo: & cùm te reputes Christianum, multum confundi debes, si in te inueneris aliquem amorem vanitatis, quam quærunt infideles. Omnes dicunt se esse Christianos, sed valde

de pauci ſunt, qui imitantur vitam Chriſti. Sunt quidem nomine conformes, ſed valdè contrarij in moribus. Si vita multorum Chriſtianorum conferretur cum noſtri redemptoris vita, ſatis clarè perſpiceretur prauitas cordis eorum, & quantum à rectitudine, quam illis Deus largitus eſt, declinent, quando ſe conuertunt ad amorem iſtarum rerum, quas ipſe contemni voluit. Vter quæſo plus ſcientiæ habet, Deus an mundus? Quod ſi credis Deum plus ſcire, vide quomodo elegerit paupertatem & abiectionem, idq́; ſolum ſufficeret ad cognoſcendũ, quam perdita ſit vita tua. Declinaſti è vera ſemita, ſi inordinatè quæris honores, & diuitias huius mundi. Si bonus fuiſſet mundus & honores eius, ac diuitiæ vtiles, non præcepiſſet Redemptor diſcipulis ſuis, vt illum contemnerent, ſed in contemptu ſuijpſius & aſperitatæ vitæ monſtrauit tibi parum neceſſitudinis eſſe debere cum rebus terrenis. Durum illud prǽſepe, in quo recubuit die natiuitatis ſuæ, condemnat delicias huius mundi: illud ſtabulum monſtrat, quã ſint vani honores & vitæ prǽſentis proſperitates: viles illi panni, quib. diuina ipſius maieſtas inuoluta fuit, ſatis oſtendunt, quales ſint huius ſæculi diuitiæ. Conſidera *Luçæ 2.*

dera parum diſcurſum vitæ ipſius, & con templare mortem, & comperies, quod filius Dei factus homo, ſemper nos adhortatus fuerit ad contemptum mundi, tam vitæ ſuæ exemplo, quàm verbis & doctrina. Prædicans Dominus in monte incepit dicere: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

Matth. 5.

Non venit Dominus ad te deſtruendum, verùm vt te in viam cœleſtem dirigeret, & perduceret ad æternam ſalutem. Si Chriſtus non errauit, tu erras, & ſi ille bonum elegit, tu eligis malum; ſi ille per infamiam & paſſionem elegit portas gloriæ, ſine dubio, cùm ſis adeò amicus honoris & vanitatis, rectà tendis ad infernum. In magno periculo viuis, periclitatur tua ſalus, niſi retrocedas ab hac via, & deteſteris id quod amas, & ſeriò tecum deliberes, poſthac inſiſtere veſtigijs eius, qui non poteſt errare. O ingentem abuſum, quod viliſſimus terræ vermiculus adeò velit eſſe magnus, cùm Deus Maieſtatis ſeſe tam paruum fecerit. Itaque anima Chriſtiana, ſi videris ſponſum tuum Iſaac ire peditem, debes tu ad imitationem Rebeccæ teipſum cooperire chlamyde, eo quod pudere te debeat, videre Ieſum Chriſtum in contemptu, & te in

Gen. 24.

alto

alto camelo honoris & potentiæ mundi constitutum. Descende igitur, descende, sicut illa fecit, contemnendo honores & vanitates sæculi præsentis, conformando te vitæ redemptoris, vt cum ipso postea fruaris veris diuitijs & honorib. sempiternis.

CAPVT IV.

De vanitate, quæ occurrit in rebus mundanis.

VAnitas vanitatum & omnia vanitas, inquit Sapiens. Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas. Meritò hic mundus in sacra scriptura vocatur hypocrita, qui cùm foris mirum in modum speciosus sit, intus tamen plenus est corruptione & vanitate: In bonis illis sensibilibus apparet bonus, cùm reuera plenus fuco sit & mendacio. Ne firmes in mari amoris huius mundi anchoram nauis cordis tui, virides quidem arundines exhilarant aspectum, & oculi delectantur viriditate & specie florum, quos si frangas, intus comperies esse vanos & inanes. Non te decipiat mundus, nec capiat oculos tuos

huius

huius vana & apparens pulchritudo, cuius interiores latebras si inspexeris, nihil ibi inuenies præter vanitatem; si mundus apertus esset cultro veritatis, statim deprehenderetur esse vanus & falsus. Quicquid enim est in mundo, aut est præteritum, aut præsens, aut futurum; quod præteritum est, iam non est: quod futurum est incertum est, præsens verò instabile ac momentaneum. Vanitas est in eo sperare, & ingens est vanitas magni facere eius fauorem. Vanitas est desiderare eius honores, & maior vanitas est amare eius diuitias & voluptates: vanitas est amare eius bona transitoria, & profectò vanitas est magni facere corruptibilem substantiam huius sæculi. Vanitas est captare auras laudum humanarum: vanæ sunt curæ, quæ impenduntur ad seruitium huius mundi infœlicis: Totum denique est vanitas præterquam amare Deum, & soli Deo seruire. Fœlix ille est, qui mundi est oblitus: hic sane viuet quietus, nec erit qui eum auocet à suis spiritualibus exercitijs, dum fruitur suauitate, & pace spiritus. Melius est esse pauperem quàm diuitem, melius esse paruum quàm magnum, melius est esse ignorantem & humilem, quàm literatum,

tum, vanum & ſuperbum. Scientia aliiſque gratijs, quas Deus tibi conceſſit, vt te ſuo ſeruitio arctius aſtringeret, abuti ad maiorem licentiam, meræ eſt vanitatis, & arrogantiæ. Quantò ſit melius eſſe paruum quàm magnum, vltimus ille dies oſtendet, in ſtricto illo & rigoroſo iudicio extremo, vbi libri conſcientiarum aperientur, & legentur in præſentia totius mundi. Tum præſtiterit amaſſe DEVM, quàm diſputaſſe multas curioſas & ſubtiles quæſtiones: plus ibi valebit munda conſcientia, quàm prædicaſſe magnos & ſublimes ſermones: ibi non petetur quid dixerimus, ſed quid fecerimus. Plus valebit contempſiſſe mundum, quàm ſectatum fuiſſe eius dolos & falſas promiſſiones. Melius tibi erit in illo die, ſi pœnitentiam egeris de tuis peccatis, quàm ſi in tam breui tempore indulſeris carnis deſiderijs, & poſtea detrudaris in ignem infernalem. Recollige te bene, & ſupputa quantum dederis mundo, & quàm parum DEO in hac vita tibi ab eo conceſſa ad eius ſeruitium. Quo tibi effluxerunt tot anni ſine profectu? quem fructum cœpiſti, ex eo tempore quo mundo ſeruiuiſti? Tempus præteritum eſt irrecuperabile.

Tran-

Transſierunt dies vitæ tibi imprudenti, occurrente ſtatim morte. Quid habes ex eo quod feciſti? In amicis non reperiſti fidelitatem, in ijs de quibus bene meritus es reperiſti ingratitudinem, & in hominibus fallaciæ plurimum, & ſimulationis. Nunc vide quomodo perdideris quicquid feciſti. Id exiguum cognitionis quod habes ab homine, & omnia de quibus conquereris, continuè clamant, tibi ſolum DEVM amandum & colendum fuiſſe. Omnem tuam operam perijſſe, niſi eam impenderis in ſeruitium ſolius Ieſu Chriſti. Solũ id tempus quod impendis ſeruitio diuino prodeſt, reliquum verò vniuerſum ſpectat ad vanitatem & interitum. Quod ſi exactius perpendis hominum ingratitudinem, inuenies te bonam partem temporis impendiſſe ſeruitio eorum, meritò de tempore inutiliter expenſo dolebis, & in poſterum conaberis ſeruire creatori tuo. Vtinam id quod ſaltem in fine vitæ faciendum reſtat, ſine recuperatione temporis præteriti, id iam inciperes tempore iuuentutis tuæ, ac ita maturè inciperes Deo ſeruire, eique bonos annos vitæ tuæ dare. Ingens ſanè vanitas eſt, expendere vitam vt hominibus placeas. Reſigna appetitus tuos:

ſpolia

ſpolia te affectibus, & quaſi nihili duxeris, quod nunc aliquid eſſe videtur.

CAPVT V.

De vano fine rerum mundanarum.

MVLTI ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, vt inquit Apoſtolus: finis eorum, qui mundum amant, teſte Apoſtolo, eſt mors & perditio. Non adhæreas ijs quæ mundus tibi offert, quia ſubitò incides in eius fallacias. Voluptates eius ſunt curſores mortis, fuge mendacia, niſi te velis capi, non conſideres præſens, ſed futurum. Sis diligens in conſiderando terminum peccati, æſtimando futurum & præſens, ita demum odio habebis, & voluptates, & vanitates, quas mundus tibi ob oculos ponit. Vita noſtra eſt inſtar fluminis, quod currit ad mare mortis. Fluminis aqua eſt quidem dulcis, eius tamen finis eſt ingredi in aquas amaras maris. Dulcis eſt vita amantibus, ſed fiet amara appropinquantibus mortem: terminus ſaporis fluminis eſt amarus, finis verò vitæ hominis *Philip. 3.*

ipſa

ipsa amaritudo. Vanitas mundanis obuia, sine dubio terminabitur in dolores & tristitias: videtur quidem habere bonum principium, sed morte finitur; ingressus est hilaris, sed molestus exitus. Si cogitaueris, quanto plus adferant tormenti quàm voluptatis, libenter renunciabis vanitatibus, & effugies culpam, multoque magis tristitiam, quæ remordet tuam conscientiam. Breue est id quod delectat, æternum verò quod cruciat.
Non patiaris te attrahi à vanitate, quam fallax mundus tibi repræsentat: sed oculum defige in eius terminum. Dicit Dominus: Conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Statua Nabuchodonozor habebat caput aureum, & pedes terreos. Mundus iste secum confert principia quædam opulentiæ, & pulchritudinis, quæ appetunt mundani, sed non vident eius pedes, cùm fines nimirum & termini eius viles sint & terreni. Cogita de fine infinito, & viues in infinitum. Ne respicias id quod es, sed quod eris. Ne respicias ad pulchritudinem præsentem, sed turpitudinem, quæ erit finis tuæ pulchritudinis. Nequid in præ-

Amos 8. *Prou. 14.* *Daniel. 3.*

ſens docuerit,attendas, ſed ad ea quæ ſequuntur. Et tibi perſuade, omne malum dependere ab eo, quod in principio non ſis memor, quis ſit finis peccati : & tamen vixdum guſtaſti eius bona apparentia, quin ſuccedat ſtatim huius abominatio. Plorabat, nec quidem immeritò Hieremias ſuper Hieruſalem dicens: Immunditiæ erant in pedibus eius. non tamen recordabatur filij ſui. Pedes noſtri tanquam vltima vitiorum trahebant ſecum immunditiam : anima noſtra obliuiſcebatur ſui finis, & recordabatur principij, reſpiciens ad vanum capitis ſui ornamentum. Non occupabat ſeſe in conſideratione finis huius mundi. Cur quæſo plorauit Dominus ſuper Hieruſalem ? Eo quod non agnoſceret malum ſibi oboriturum. Solùm ad præſens attendere, non ad triſtitiam lætitiæ aſſeclam, id demum lachrymis dignum eſt : ac propterea plorat CHRISTVS, quia Hieruſalem improuida, præſenti gaudio ineſcata, non attendebat ad tribulationes ſubſequentes. Dolendum profectò, quod ita te patiaris decipi, vt non videas fines peruerſos, in quos terminantur omnes voluptates. Ne teipſum metiaris ex ijs, quæ apparent in princi-

principio, ſed bene perpende ea quæ ſequuntur. Ne habeat in te poteſtatem appetitus vanus potius, quàm intellectus. Cùm cognoſcas quàm amari ſint fines mundi, nihili facias eius bona. Nihil deſideres priuſquam id bene intelligas, vtrum expediat: & reſpice finem: poſt bonum ſequitur malum, & poſt voluptates ſequuntur dolores, & amara faſtidia. Hæc eſt regula mundi, vt non det bonum prandium, niſi etiam det malam cœnam. Omnis homo primùm bonùm vinum ponit, & tum quod deterius, dicebat Architriclinus: quia eſt conſuetudo mundi incipere cum lætitia, & concludere cum luctu. Sed in conuiuio CHRISTI contrarium fit: vbi principia ſecum ferunt tribulationes, quibus ſuccedunt conſolationes. Principia cælant malum mundi, quod poſtea aperiunt fines. Cùm dixerint pax & ſecuritas, tunc ſubitò ſuperuenit eis interitus. Finis dat eſſe rebus. Qualis finis, talia ſunt ea quibus delectaris: finis voluptatum eſt tormentum: finis ciborum eſt infirmitas: finis & terminus huius vitæ, quam tantopere amas, nihil aliud eſt, quam vermis & cinis: finis & concluſio omnis peccati mortalis,

ſalis, erit tormentum maximum, idque ſempiternum.

CAPVT VI.

De conſideratione finis rerum mundanarum.

HOmo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis, dicit Pſalmiſta: Cùm Deus eum monuiſſet, vt ad futura reſpiceret, & ad malos fines vanitatis mundi, noluit hoc vti priuilegio. Cõſiderauit præſentem honorem, nõ autem exitum ipſius amarum. Immoratus eſt delectationi præſenti, non attendẽs ad pœnam ſequentem; imò illius non fuit memor, donec in illam incidiſſet. Dicit Eccleſiaſticus: Dixi in corde meo de filijs hominum vt probaret eos Dominus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtijs. Deus veſtiuit Adamum pellibus animalium brutorum poſt peccatum, vt demonſtraret, quod in talem miſeriam cecidiſſet ob culpam. Peccator offendit Deum & ſubitò dicit, vtinam non peccaſſem. Cùm agnoſcas malignitatem mundi, & quod hęc triſtitia ſit coniuncta eius voluptatibus, cur hoc non attendebas antequam peccares? ſed quod ſapiẽs facit in principio, hoc

Pſalm. 48.

Eccleſ. 3.

Gene. 3.

ſtultus facit in fine: prudẽtis eſt præcogitare: ſtulti verò eſt dicere nõ putabam. Cogita de triſti fine mundanorum, & non inuenies te poſtea deceptum. Dicit Pſalmiſta: Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. Cogitando terminum peccati relinquitur mala via, & ſubſequitur obſeruatio mandatorũ Dei. Si tibi iter facienti diceretur, quod in eo ſint fures & latrones, nunquid non relinqueres viam inceptam, & ires per aliam. In via voluptatis qua ambulas ſunt latrones, qui occidunt & furantur gratiam & merita. Tu verò ſi ſapis, recede ab hac via mala, dummodo velis euadere mortem. Simul ac venit tentatio, conſidera bene viam voluptatis quam ingrederis, ita vt ſtatim ab ea recedas. Dicit Apoſtolus, ſtipendium peccati mors. Erant Iacob & Eſau in ventre matris, & contendebãt vter ipſorum prius naſceretur: & in natiuitate Iacob apprehendebat Eſau per pedem. Caput eſt principium, pes verò eſt extremũ hominis. Hæc eſt differentia inter malos & bonos, quod boni accipiunt peccatum per pedem, mali per caput: mali ſemper amplectuntur honores & voluptates, nõ reſpiciendo ad illarum rerum terminum: boni accipiunt mundum per pedes, conſide-

Pſalm. 7.

Rom. 6.

ſiderando amaros eius fines. Voluptates & proprietates huius mundi reſplendent inſtar candelæ accenſæ, cuius flamma eſt pulchra, ſuſtentaturq́; quamdiu durat eius materia, ſed ea finita omnia in fumũ abeunt & fœtorem, iuxta terminos omnium rerum mundarum. Sic, licet nunc te delectet ſplendor vanitatis eius, ne decipiaris, quia in fine pariet multas afflictiones, & remorſus. Scribitur in Pſalm. Sicut deficit fumus deficient, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic peribunt peccatores à facie Dei. Si fueris prudens in poſterum tibi prouidebis. Dicit Regius propheta: Adhuc eſcæ erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Vix dum mundani incipiunt guſtare vanitatem, cùm tamen ſtatim appropinquat iuſtitia diuina, caſtigans illorum peccata. Cùm igitur adeò coniuncta eſt afflictio rebus mundanis, ſi in principio bene perpenderis finem, procul dubio abſtinebis ab omni vanitate. *Pſalm. 27.*

CAPVT VII.

De vanitate iudiciorum, & verborum hominum.

Psalm. 54. IActa cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet, dicit Propheta: Totum tuum studium eo tendat, vt satisfacias Deo, nec te extollas ob laudes humanas, nec turberis ob hominum obmurmurationes. Causa cur homines de te mala dicunt, est, quia studes illis placere, vt ab eis lauderis. Vtinam verò prorsus in hanc rem incumberes solam, vt satisfaceres voluntati eius sanctissimæ, & solam ipsius gratiam captares, quàm parui faceres verba, quæ aduersus te dicuntur. Ne coneris alteri placere, nisi soli DEO, & viues quietus & consolatus: Nihil te magis affligat, quàm eius offensa. In nulla re consolationem capias nisi in pura conscientia: vanitas est curare impia iudicia hominum, modò bene coueniat tibi cum DEO. Multi laudati fuerunt ab hominibus, qui nunc sunt in inferno; multique habiti pro stultis, qui fruuntur gloria Christi. Cùm hæc ita se habeant, non debes gloriari, si alij te

lij te

lij te laudent, nec etiam dolere ob malam de te existimationem. Si meritò laudaris ob bonum quod habes, ne superbias, cùm multis abundes defectibus occultis, quos si homines scirent, non te laudarent: quod si laudant te ob virtutem quam non habes, cura vt eam habeas, ne in hoc mundus decipiatur: si cum veritate murmurant, cura vt te emendes: si verò iniustè iudicatus fueris, agnoscas eos esse homines, nec tibi posse nocere, imò prodesse potius, modò habeas patientiam. Si DEVS deberet ab hominibus consilium accipere, vtrum te in gloriam suam assumere debeat, an amandare ad infernum, aut quoduis aliud circa te ordinare, tunc meritò tibi procurandum esset, vt ab omnibus commendareris, & pro sancto habereris: sed cùm DEVS tecum & cum anima tua solus vult rationem inire, vanum fuerit procurare, vt hominum laudes assequaris. DEVS non exiget rationem ab illis, nec eorum requiret de te opinionem: Et quicquid alij de te dicant, non sese remittet DEVS ad illorum dicta, sed ad tuam propriam conscientiam. Si totus mundus dicat te esse sanctum, & quod merearis gloriam, quid hoc tibi prodest

coram DEO, qui te iudicabit iuxta constitutionem tuæ conscientiæ? Quòd si omnes te condemnarent, modò sis amicus Dei, quid eorum oblocutio tibi nocebit? Non enim is, quem illi reprobant, erit reprobatus à Deo, nec quicquid illi approbant erit Deo acceptum. Vana sunt illorum iudicia, cùm non cognoscant corda aut merita hominum: nec intelligunt interiora animi, & sæpius falluntur: nec vtique illi dant gratiam, multò minus gloriam; nec in illorũ potestate est, te aut condemnare aut saluare. Et si omnes homines habueris amicos, nunquam poterunt prolongare vel mediam horam vitæ tuæ, nec te poterunt liberare à rigoroso illo iudicio. O quanto melius erit in puncto mortis habere Deum amicum, quàm si expendisses totam vitam tuam in seruitio Regis & aliorum principum huius mundi, qui licet nos ament, tamen ne tantillum quidem nos poterunt tunc iuuare. Crede igitur mihi, nec te affligas, modò fungaris officio tuo, quantumuis de te homines murmurent: nec etiam enitaris placere populo; nec quæras eius laudes in hoc mundo, quia hoc totum spectat ad vanitatem & temporis perditionem.

Con-

Conuertere igitur ad Deum, & totis viribus procura, vt ei placeas & seruias, auertens aures tuas à rumoribus & vanitatibus sæculi huius infelicis.

CAPVT VIII.

De contemptu oblocutionum humanarum.

MIHI autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Qui autem iudicat me Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quo ad vsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: Et tunc laus erit vnicuique à Deo. Hoc dicebat Apostolus, spernens iudicia hominum, cùm solus Deus cognoscat corda & vniuscuiusque conditionem, eiusque sit scrutari corda & renes. In hora mortis apparebit, quis sit bonus vel malus. Tu igitur neglectis hominum iudicijs impijs, soli DEO placere stude. Qui currunt in stadio, illorum solùm iudicia curant, qui daturi sunt præmium: vt etiam tu discas non curare laudes aut vituperia hominum, sed totis viribus enitaris, vt so- *1. Cor. 2.*

li Deo placeas tanquam tuo iudici: Si fatigaris, ille hoc prorſus videt, & de manu eius recipies præmium.

Ama veritatem, nec cures dicta hominum, qui crebrò mouentur ex odio aut amore, cùm tamen neſciant, quid ſit in homine. Ne indigneris, aut ægrè feras, quamuis aliquis de te habeat malam opinionem. Es ne fortè melior Chriſto, Lege Euangelium, & ibi comperies ſcriptum, quod vocatus fuerit ab aliquibus
Ioan. 9. Seductor, Samaritanus, & Dæmoniacus. Aliqui dicebant eum non eſſe hominem Dei, cùm non obſeruaret eorum feſta: alij verò dicebant: Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? adeò vt eſſet, teſte Ioanne, ſchiſma inter eos.

Si igitur de Saluatore, qui erat ipſa ſanctitas & bonitas, ſpargebantur tam diuerſæ opiniones, cur tu es tam ſuperbus, cùm alioqui ſis plenus imperfectionibus, vt velis ab vnoquoque probari, id quod facis? Si de innocentiſſimo Domino erant tam contrariæ ſententiæ, cur vis omnes vno ore opera tua approbare? Si ſunt tot, qui te laudant, cùm tamen ſis vas quoddam debile ac fragile, ne ægrius feras, ſi aliqui malè de te loquan-

quan-

quantur. Non eſt aliquis tam ſanctus vt vita eius in hoc mundo commendetur ab omnibus: nec opus aliquod tam iuſtificatum, vt mali de eo non murmurent. Ingentis eſt erroris virtutem non exercere ob contradictiones hominum. Et aggrediaris quiduis ſanctiſſimum, nunquã carebis contradictoribus: Imò ſi tam leuis fueris, vt magni facias hominum dicta, nunquam boni quicquã operaberis. Cœcus ille ſedens in via Hiericho, inuocans auxilium Domini, non caruit reprehenſione: Ille tamen quantò magis reprehendebatur, tantò magis clamabat. Impoſſibile eſt cohibere linguas malignorũ. Appropinqua igitur Deo, & inſiſte ſemitis iuſtitiæ, & perſeueres in bono incœpto, nec cures dicta hominum ocioſorum, qui ſolent perperam interpretari intentiones & opera proximorum. Perdes oleum & operam, ſi curioſius obſerues hominum dicta. Procura igitur, vt perpetuò gratus ſis Deo, & morem geras eius voluntati, quia totum reliquum eſt vanitas maxima, & afflictio ſpiritus.

CAPVT IX.

De vanitate laudum humanarum.

Matth. 6. ATtendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab ijs, dicit Dominus. Et quamuis alibi desideret, vt opera nostra luceant coram hominibus, vt ea videant, non tamen ad nostram, sed ad Dei gloriam, & vt glorificetur nimirum Pater noster, qui in cœlis est. Qui opera bona facit, vt laudetur, non vult Deum glorificari, sed se solũ. Non prohibet Dominus opera nostra palam fieri, sed cupit intentionem esse rectam. Iubet vt non quæras tuas laudes, sed vt in bonis, quæ facis, quæras Dei gloriam. Si aliorum linguis metiaris thesaurum operum bonorum, non est penes te situm, illum custodire vel amittere. Absconde diuitias virtutum, nisi ijs velis spoliari per adulatores. Ezechias, qui ostendebat thesauros suos nuncijs Regis Babyloniæ, grauiter fuit punitus. Ne publices bona opera, quæ facis, nec quæras laudes humanas, nisi velis corripi à Deo tanquã vanus & arrogans. Ne quæras mercedem bonorum operum in hoc mundo, ne perdas

Matth 5. (margin, beside "ster, qui in cœlis est.")

Reg. 20. (margin, beside "bat thesauros suos")

das

das præmium vitæ æternæ. Vide ne postea tibi dicat iudex iustus: Recepisti mercedem tuam. Ne quæras iustificari ab hominibus, quia vana est laus humana, si te accusat mala conscientia. Nisi hominum laudes fugeris, facilè decipieris, & perdes meritum bonorum operum: Nec te delectent & moueant laudes hominum, & fauores potentum, quia vana & mortifera sunt, quæ separant à summo bono. Ne multum cures verba, quia homo sanctus magis curat opera, quàm verba. Opus verò bonum per se est laudabile. Qui tantum quærit verba, tandem nihil inueniet, præterquam verba: Virtus verò facta in Deo, à Domino ipso præmium accipiet. Si vitam tuam ex linguis hominum æstimaueris, nunquam liber eris aut quietus. Iustus non mouetur verbis ornatis, sed solùm quærit placere Deo. Reuertere ad propriam conscientiam, illic inuenies, qualis sis & cognosces te esse infirmum, & peccatorem, & citò moriturum. In articulo mortis videbitur, quàm vanæ sint laudes. Ne desideres versari in ore hominum, quia falsis laudibus fallunt gloriæ inanis cupidum.

Vanum est gaudium, cùm non fun- Eccles. 1.

datur in ſecura & pura conſcientia. Sicut probatur aurum in igne, ſic etiam homo probatur in ore laudantium. Aurum purgatur in fornace, & quod aurum non eſt, conuertitur in fumum: ſic virtus pertranſiens laudis fornacem, ſi fuerit falſa, conſumitur & perit: ſi verò fuerit vera, creſcit vnà cum laude. Si quæris laudes hominum, fugiet virtus: ſi ſuperbis ob laudes hominum, virtutem pellis. Babylonij muſicam audiendo, adorabant ſtatuam: ſic laudem hominum captantes adorant ſtatuam peccati. Manna, quod ſeruabant Iſraëlitici per aliquot dies ſeptimanæ, altero die inuenerunt corroſum à vermibus; Sed ſi ſeruabant tantùm in Sabbathum, erat incorruptum & bonum. Intelligitur autem per dies ſeptimanæ tempus præſentis vitæ. Omnia opera, quæ facis in mundo, vt lauderis ab hominibus, amittuntur, & corrumpuntur: ſed quæ fiunt, vt recondantur vſq; ad feſtum gloriæ æternæ, ibi apparebunt valdè bona, & recipient ſuum præmium. Serua igitur illa in Sabbathum gloriæ æternæ. Deus præcipiens, vt petræ, è quibus fiebat altare, non eſſent politæ & elaboratæ, ſed rudes, aliud noluit inſinuare, niſi vt opera

Dan. 3.

Exod. 16.

Exod. 20.

tua

tua non facias, vt videaris bonus coram hominibus, sed vt Deo placeas. Non politur lapis exterius, nisi vt splendeat coram hominibus. Caue, ne opereris, vt placeas hominibus. Enitere soli Deo placere & seruire in interiori animæ tuæ: Fuge verò vanas laudes, nisi velis incurrere hypocrisim.

CAPVT X.

De vanagloria.

DA gloriam Domino Deo Israel, dicit Scriptura. Gloria, quæ debetur bono operi, desiderat Deum tanquam authorem, atque præcipuam causam boni, quod operaris. Caue vsurpes tibi gloriam, quam Deus alteri non vult dare. Magnum malum est vana gloria, & multum detrimenti adfert viro spirituali proprius amor. Fuge vanam gloriam tanquam Basiliscum, qui si te prius ex improuiso viderit, aspectu suo te interficiet: Si verò prius eum videris cognoscendo nimiam esse vanitatem in operibus tuis captare gloriam, acquires perfectam victoriam. Laudetur Deus in operibus tuis, non homo, qui est vile instrumentum gratiæ illius. Dicit Deus: *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in* *Exod. 20.*

ea? aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? Non refertur virtus operis ad instrumentum, sed ad solum magistrum. Si aliquid boni agis, cogita te esse instrumentum, per quod Deus operatur. Vide ne gloriam Deo debitam tibi vendices. Apostolus enumeratis, quos multos perpessus fuerat, laboribus dixit; Non ego solus, sed gratia Dei mecum. Illi 24 Seniores in Apocalypsi acceperunt coronas ex capitibus suis, easque ponebant ad pedes agni: Sic tu quoque fac: pone boni operis honorem ante pedes Christi, di-
Psalm. 113. cens cum Propheta: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam: omnia opera nostra operatus es Domine.

Cùm gloriaretur Samson de victo-
Iud. 15. ria sibi à Domino collata, dicens; *In Asini mandibula eos occidi*, ob eam vanam gloriam sic fuit humiliatus, vt siti pro-
Daniel 4. pemodum perierit. Dicit Daniel, quod cùm Nabuchodonosor seipsum laudaret & diceret: *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Subitò cœlitus vox audita est: *Regnum tuum transibit à te ad inimicos tuos.* Magnum peccatum æstimabat Iob, si quis

quis oscularetur manus suas. Hoc autem toties facis, quoties gloriaris, & te commendas propter opus bonum abs te factum. Videbatur Moysi manus sana, sed cùm reponeret eam in sinum, inuenit lepra infectam. Si tua tibi opera videntur sana & bona, inuenies ea non carere lepra, si facta sint ob vanam gloriam. Quid habes, quod non accepisti? *Perditio tua ex te Israel: Salus verò ex Deo.* Si respicias ad præteritum tempus, inuenies te commisisse, vnde meritò erubescere debeas: Si respexeris præsens, inuenies te in hoc exilio circumdatum periculis: quòd si oculum defixeris in futurum, non deest materia timoris, si consideres ingruentia tibi Dei iudicia. Potius timere debes in hac lachrymarum valle, quàm lætus ac vanus esse, cùm nescias, vtrum opera tua Deo sint grata, & quamdiu in illis perseueraturus sis. Qui stat, videat ne cadat, inquit Apostolus. Si propter gratiam à DEO tibi datam vanè gloriaris, ea priuaberis. Sic dicit Psalmographus: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum, & quia in semetipso gloriabatur, cecidit, prout dicit: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus: Si aliquod bonum

Iob.31.

Exod.4.

Ozeæ 3.

Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum

1.Cor.10.

Psalm.19.

bonum facis, hoc est Dei; cur igitur gloriaris in bonis, quæ tua non sunt? Virgines stultæ sunt vasa oleo vacua habentes, quæ quærunt vanitatem & gloriam exteriorem huius mundi. Si gloriaris de teipso, gloria tua nulla est. Quod si Angeli tantæ dignitatis in cœlo solam Dei gloriam quærunt, quanto magis vilis homo & mortalis se humiliare debet, propulsando à se omnem vanam gloriam. Disce homo miserabilis esse humilis corde, vt inuenias gratiam, quam perdiderunt mali Angeli, per suam vanitatem & superbiam.

CAPVT XI.

De contemptu vanæ gloriæ.

1. Cor. 11. QVI gloriatur, in Domino glorietur, dicit Apostolus. Ne glorieris in operibus tuis, quia omnis gloria serui Iesu Christi debet esse in Deo solo. Sperne vanam gloriam huius sæculi, si maiorem velis obtinere gratiam apud Dominum. Quantò in deuotione feruentior es, tantò tibi cauendum diligentius est, ne in vanam gloriam incidas. Vana gloria procedit quidem ex bono, sed non extinguitur cum bono, imò accrescit. Sicut Deus pro sua bonitate ex ma

lo eli-

lo elicit bonum: ſic è contrario tanta eſt malitia Aduerſarij noſtri, vt ex bono eliciat malum. Ex opere bono elicit vanam gloriam, vt extinguat meritum boni operis. Hæc vanitas eſt ſagitta meridiana, procedens ex luce boni operis, à qua cupiebat Propheta liberari. Caue ne feriaris ab hac ſagitta, quæ ſecum adfert herbam venenoſam. Cùm te putas multa facere, pauca facis reſpectu ſanctorum: Res enim quæ apparet alba, ſi conferatur cum niue, nigra ſtatim videbitur. Si in memoriam reuoces, quanta paſſi fuerint ſancti, quantaque pœnitentia ſe macerauerint, parum te facere comperies. Agnoſce debilitatem tuam, & quàm parum valeas, & non inaniter gloriaberis. Ne te vanitas ad opera bona moueat, nec ſperes præmium ab hominibus. Molendinum non circumagitur, nec facit farinam, niſi excitetur vento: Sic multi non facerent farinam bonorum operum niſi flante vento vanitatis. Perdes meritum bonorum operum, ſi te ſola vanitas moueat. Et quamuis omnia ſerues, quæ lex præcipit, quid tamen habes de quo glorieris? Dicit Dominus: Cùm omnia feceritis, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſerui inutiles ſumus. Si ſemper ſer-
uieris

uieris Deo, inutilem tamen te exiſtimes. Nam ſi tecum exactius perpendas, inuenies quod ſæpius eum offenderis. Sed tum demum feceris omnia, cùm nihil te feciſſe putabas. Ne deſtruas fructum laborum tuorum, neq; fruſtra profundas ſudores tuos. Bene nouit Deus & melius quàm tu id quod facis, & meritum operum tuorum. Quod ſi dederis tantum calicem aquæ frigidæ vni ex minimis apud Deum non perdes tuam mercedem. Cur igitur teipſum laudas? An ignoras, quod hoc faciens non laudaberis à Deo? Æſtima teipſum inutilem, & Deus habebit te inter vtiles & perfectos: Si laudaueris teipſum, reprobaberis, licet antea dignus viſus fueris, qui laudareris. Si te æſtimaueris inutilem, ſubitò eris vtilis, licet antea fueris culpabilis; neceſſarium eſt collectas habere cogitationes tuas. Quia expedit te obliuiſci virtutum tuarum. Si oblitus es peccata tua, quorum potius memor eſſe deberes, cur non obliuiſceris bonum quod feciſti? Magnum theſaurum reponit, qui ſuorum bonorum obliuiſcitur. Sancti multum laborabant, vt ſua peccata in memoriam reuocarent, ac propterea erant humiles: Phariſæus verò per vanam gloriam ſeipſum perdidit, quamuis videretur

Marc. 10.

retur gratias agere Deo. Si te ipſum laudaueris, abominabilis fies coram Deo, & hominibus odioſus. Si velis res tuas eſſe magnas, non exiſtimes eſſe magnas, quia alioqui non poterunt eſſe magnæ. Sis igitur in omnibus rebus tuis coram Deo paruus, & reportabis maiorem gratiam à Deo.

CAPVT XII.

De vanitate eorum, qui volunt eſſe magni in hoc ſæculo.

NOLI altum ſapere, ſed time. Si vis magnus eſſe in cœlo, ſis paruus in terra. Multos nouiſti magnos & potentes, quorum nulla amplius memoria eſt. Quàm multi magnis prælaturis & dignitatibus præditi fuerunt, quorum vanitas abijt inſtar fumi, & eorum nullus curam habet. Ipſi nunc ſunt mortui: alij verò occupant eorum præbendas, de quorum anima iuuanda vix tantillum cogitant. Cur laboras, vt præſis & magnus fias? Cur vis magnus eſſe in hoc mundo? Nunquid non in ſtatu, ad quem tu anhelas alij ante te fuerunt? Num illorum nunc recordatur mundus? non conſideras quem finem habuerint? Id quod ipſis accidit, idem tibi *Rom. 11.*

vſu

vſu veniet, cùm mundus non mutauerit antiquum ſuum morem. Cogita quomodo aſcenderint & deſcenderint, & quod eò ceciderint grauius, quo aſcenderant altius. Is, qui ab iſtis magnis fuit contemptus, nūc eos puluere obruit, & tenet ſub pedibus eorum ſepulchra. Recordare, quod in eo ſtatu, quem deſideras, fuerint alij, quorum nomina ignoras, & mundus eos non nouit, quaſi nunquam fuiſſent. Iam redacta ſunt eorum corpora in cinerem & puluerem. Ne reſpicias tempus præſens, ſed futurum. Ne magni facias honorem, quem mundus hic tibi offert, ſed reſpice, quid tandem ſequetur. Defige oculum ad ea, quæ ſecutura ſunt poſt breuem hanc vitam, & ſpreto inſtinctu vel dæmonis, vel mundi, viues contentus eo ſtatu, ad quem Deus te vocauit.

Ne putes melius te ſeruiturum Deo in altiori, quàm humili ſtatu: nec quidem ſub pio eleemoſynarum largius erogandarum prætextu. Honores excæcant mundanos. Magni perdunt ſuam libertatem, & ad maiora ſe obſtringunt. Cùm ſis nunc liberior, & magis tui iuris, nec tamen ſatisfacias minori officio, quomodo ſatisfacies maiori iam amiſ-

ſa quaſi omni libertate ? Si non ſufficis paruo oneri portando, quomodo portabis magnum ? Si paruæ curæ diſtrahunt te ab oratione ac alijs exercitijs ſpiritualibus, quomodo dabis te Deo iam varijs curis diſtractus ? Qui parua non ſuſtinet, nec maiora etiam ſuſtinebit. Qui non eſt bonus ſubditus, nunquam erit bonus prælatus. Sis amicus Dei, ama puritatem conſcientiæ, & reſignes te totum ipſi: Quod ſi à Deo ordinatum fuerit, vt fias magnus, ille exaltabit te ſine tua ſollicitudine. Non indiget Deus tua diligentia. Sis humilis in oculis tuis, nec magni facias hoſce honores. Arbores in eminentiori loco plantatæ vento magis ſunt expoſitæ. Quo altior ſtatus, eò maius periculum. In reti piſcatorum magni piſces facilius retinentur, parui verò elabuntur. Maximi quique Principes Hieroſolymæ à Nabuchodonoſore in captiuitatem redacti ſunt: plebs verò in ciuitate libera remanſit. *Ierem. 25.* Ne velis eſſe magnus, quia facilè incides in naſſam dæmonis. Ne deſideres ampliare ſtatum, ne pertraheris in confuſionem Babylonicam. Recogita miſerum finem malorum, & eliges eſſe de numero paruulorum. Sis contentus eo ſtatu, ad quem

Deus te vocauit, vt merearis post hanc vitam possidere thronum gloriæ.

CAPVT XIII.

De vanitate eorum, qui volunt esse Prælati.

Matth. 20. NESCITIS quid petatis, dicebat Dominus duobus discipulis, qui volebant alijs præesse. Ex ignorantia suijpsius sequitur appetitus magisterij & prælaturæ. Honor est præmium virtutis. Si putas te honore dignum esse ac virtute præditum, hanc vnam ob causam indignus es honore. Satis est te haberi bonum, etiamsi te talem esse non putes; & si credis te mereri dignitatem, hoc ipso debes credere te illam non mereri. Ambitio est mater hæreseos. Difficilè est stare in alta dignitate, & carere cogitationibus elatioribus: in magnum periculum te conijcis, si velis esse Prælatus, & alijs imperare. Nec est aliquis, qui facilè ambiet prælaturam, si bene cognouerit obligationes Prælatorum. Qui affectant esse Prælati, nesciunt quid sit esse Prælatum. Tanto debet Prælatus præstare subditis, quantò dignior est pastor pecoribus. Non confertur Doctoratus incipientibus studere, sed

ſed iis, qui iam diligenter ſtuduerunt. Ne fiat Prælatus, qui dicit ſe iam incipere viuere ſecundum virtutem, ſed qui omnes animæ perturbationes iam expugnauit. Prælatura enim eſt ſtatus perfectorum. Præcipiebat Deus, vt populi Duces ad primum tubarum ſignum in aciem prodirent, & plebs eos præcedentes mox inſequeretur. Ad primam quamque inſpirationem currere debet Prælatus, & primũ ſe præſtare in ſeruitio Dei. Non obligat Deus vſque adeò ſubditos atque Prælatos, cùm non ſint in ſtatu tantę perfectionis, ſed vult Prælatos reſpondere Deo ad primam ſtatim vocationem. Quo in altiori dignitatis gradu conſtitutus fueris, eò melior eſſe debes. Si multum recepiſti, multum debes: ſi peccas, grauius peccas: quia tantò maior caſus, quantò eminentior ſtatus. Alijs quoque diſcipulis dormientibus in horto, ſolus tamen Petrus fuit à Chriſto reprehenſus, quia omnibus eidem peccato inuolutis, Prælatus maiori repræhenſione dignus eſt, quàm ſubditus. Nõ debes dormire, quiſquis ex officio debes alios excitare. Non eris ambitioſus, ſi conſideres te ad præſtantiores virtutes teneri, quàm alij: & ſi pecces, grauius puniendum. Omnes

Num. 10.

Marc. 4.

nes defigunt oculos in te: quod si non facis, quod debes, scandalizabis multos. Malus Prælatus tot pœnis dignus est, quot occasiones præbet peccandi paruulis suo malo exemplo. In domo fratris
Iob. 1. maioris moriebantur filij Iob; quia subditi moriuntur per malum exemplum prælati, qui est frater senior. Quales erant virgæ, quas Iacob in aqua ostendebat o-
Gen. 30. uibus, tales illæ concipiebant agnos. Quia subditi sequuntur exempla maiorum, siue ea bona sint, siue mala. Non erit sine macula opus subditi, qui aduertit malum exemplum Prælati: opera tua bona aut mala sunt virgæ, quas ponis o-
Exod. 13. & 14. uibus tuis ob oculos: oportet viuant, sicut tu viuis. Præcedente columna, quæ ducebat Israel, procedebat populus. Sed quando stabat quieta, populus quoque quiescebat. Si prælatus pergit in via virtutis, etiam subditi hoc faciunt: sin fuerit ociosus, etiam subditi fient ociosi. Perge igitur tu qui Prælatus es, & dux aliorum, & sequentur te subditi. Plus mouent opera, quàm verba. Medicus bibens amaram potionem magis persuadet infirmo, quàm si dicat tantùm, vt bibat.

Citius persuadebis subditis, vt cur-

rant, si dicas: Eamus, & tu prior eas, quàm dicendo vt eant, & tu stes firmus. CHRISTVS Dominus tanquam bonus Prælatus cœpit prius facere, & postea docere, inquit S. Lucas: Ne frangas caput tuum & aliorum per multa verba, cùm tu in vita sis dissolutus: quia monstrosum est, vt lingua maior sit, quàm manus.

Cuius vita despicitur, restat vt eius doctrina contemnatur. Sis primus in seruitio Dei, & videbis te plus prodesse subditis, quàm prolixis & ornatis sermonibus. Magnæ stultitiæ est ambire prælaturam, in qua reddenda est ratio animarum. Valdè affligéris quando à te exposcetur ratio peccatorum, quæ subditi tui perpetrârunt, & non tu ipse. Stultus est, qui obligat sese ad soluendum id, quod alij comederunt. In hora mortis sufficiet vnicuique attendere sibi, stante iudicio tam rigoroso, etiamsi non cogatur rationem dare pro animabus aliorum. Si tunc adeò occupaberis, vt vix possis teipsum extricare, quanto minus, recipiendo in te conscientias aliorum? Vanitas est magna, salutẽ tuam ita in periculum adducere. Vanitas est, velle supra alios eminere in hoc exilio. Magis a-

maberis à Deo, si fueris probus: & modo bene viuas, pluris fies, quando subditus eris, quã si fores Prælatus superbus. Non timeberis quidem, quia non es Prçlatus, sed amaberis, quod est melius. Spolia te affectibus tuis, & cohibe cor tuum à vanitate. Ama humilitatem tanquam seruus Iesu Christi, & eijce ex corde tuo cupiditatem honorum, quia in hora mortis honores te non iuuabunt, imò potius tibi nocebunt.

CAPVT XIV.

De peregrinatione huius mundi.

2. Cor. 5. CVM sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, dicit Apostolus. Non habemus hic ciuita-
Heb. 13. tem permanentem, sed futuram inquirimus. Omne iter adfert secum laborem. Non est quærenda recreatio in hoc mundo, cùm simus peregrini. Ne affectes ædificare, aut permanere in mundo, cùm in cœlo patrem habeas tam potentem & diuitem: sed rectà contende ad copiosissimam ipsius terram. Sanctus Petrus dicit: *Obsecro vos tanquam aduenas & pere-*
1. Pet. 2. *grinos, abstinere vos à carnalib. desiderijs.* Peregrini solent molestam vitam agere.

Semper ſunt externi: nec habent amicos in terra. Ne procures amicitias ſpiritui tuo pernicioſas. Ne moleſtè feras, ſi omnia non reſpondeant palato tuo, cùm ſis viator in terra; ſi memineris te eſſe peregrinum, multa mala effugies. Curre itaque citò tanquam curſor, nec fundamentum facias in hoc mundo miſerabili.

Qui ſe confert ad hoſpitium, per mediam tantùm horam ibi manſurus, non adornat locum ad tam paruum tempus, alioqui haberetur pro ſtulto. Peregrinus es ſuper terram: heri appuliſti: cras verò decedes. Ne cures honores, diuitias, aut vanitates huius mundi, ſed tota tua cogitatio tendat ad terram viuentium, vbi ſancti gaudent cum Chriſto. Cogita de terra patris cœleſtis, oblitus omninò exilij,

Et cùm vita præſens ſit tam breuis, & tam incerta hora mortis, vt neſcias vtrum victurus ſis in craſtinum, mirum eſt quomodo hic tibi aliquid ſtabile pollicearis.

Cogita tribulationes huius mundi eſſe breuis durationis, & cras te peruenturũ ad cœlum, vbi quieſces in æternum.

Si conſideres, quàm ſit æterna & durabi-

rabilis ea vita, quam expectamus, quæ nunquam habebit finem, eius certè respectu vita præsens, etiamsi mille foret annorum, vix tamen vnius esse horæ mediæ videbitur. Imò tota vita nostra tantùm punctum esse videtur respectu futuræ. Hoc mouebat Apostolum, vt patienter ferret labores suæ peregrinationis, quemadmodum Corinthijs scribit: Id enim quod in præsenti est, momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt. Adeo S. Apostolus perpendens huius vitæ breuitatem, de cœlo meditabatur. Si peregrinus es, non mirum, si hominibus ignotus es. Si labor huius vitæ te molestat, ne propterea turberis, quia citò iter tuum confeceris. Etiam Patres veteris testamenti habitabant in cauernis & speluncis, nunquam habentes quietem. Ne putes te esse habitatorem huius mundi. Cain nonne cœpit ædificare ciuitatem in terra, ac ita perdidit cœlum? Nec immeritò reprehensus fuit S. Petrus, qui cùm esset pere-

2.Cor.4.

Heb.11.

Gen.4.

peregrinus, volebat in monte Thabor *Matth. 17.*
ædificare tanquam habitator terræ. Iter facientes tanquam peregrini, nõ emunt ea, quæ non possunt secum ferre, vt arbores & similes res, sed gemmas ac alia monilia preciosa. Hic tibi relinquendi sunt honores & diuitiæ: bona verò opera tecum ferre poteris. Cur ergo honores tibi comparas, qui omnino hic relinquendi sunt? Cur hic vis ditari in cursu huius vitæ? Compara potius hic gemmas meritorum, vt viuas in cœlo diues & honoratus.

CAPVT XV.

De vanitate pulchritudinis corporalis.

VANA est pulchritudo, dicit Sapiens. *Prou. 31.* Si omnis vanitas nihili facienda, & omnis pulchritudo est vana, meritò eam nihili duxeris. Et vanissimi sunt ij, qui magni faciunt corporis pulchritudinem. Non extollat te pulchritudo propria, nec respicias vmbram vultus tui, nisi ruere velis in mortem, & amittere vitam veluti alter Narcissus, qui cõtemplando pulchritudinem suam *2. Reg. 18.* statim mortuus est: Absoloni capilli fuerunt instrumenta mortis. Ad hoc indita

eſt creaturis pulchritudo, vt attollant ſpiritum ad Deum. Nonne cùm inuenis aliquam paruam aquæ venam, eam perſequeris, quouſq; eius ſcaturiginem inueneris? ſic etiā occurrēte aliqua pulchritudine corporali, ne quieſcas, donec peruenias ad eū, qui eſt principiū eius, Deū videlicet omnis pulchritudinis fontem. Parui pueri admirantes nimium in libris auraturam aut picturam pulchram, priuantur eius libri medulla, doctrina nimirum. Tu verò te non puerum, ſed hominem præſta, nec penitus contempleris pulchritudinem creaturæ, ſed attende ad id, quod in ea ſcribitur, vt videlicet ames tantæ pulchritudinis authorem & creatorem. Creaturæ ſunt veluti perſpicilla, per quæ alia videnda proponuntur. Non tibi creaturæ reſpiciendæ ſunt, nec tu in illis cōſpiciendus, ſed Deus in illis tibi admirandus eſt. Si teipſum amas, quia pulcher es, rogo te, vtrum ne veniat iſta pulchritudo à corpore, an ab anima, ſepara animam à corpore, & pulchritudo conuertitur in magnam deformitatem. Anima ſuſtentat pulchritudinem corporis. Si corpus tibi videtur pulchrum, multo magis debes amare animam, quæ cauſa eſt huius pulchritudinis.

nis. Si præſentia animæ cauſa eſt tantæ pulchritudinis, quam debet pulchra eſſe ipſa anima? In anima vera conſiſtit pulchritudo, reſpectu cuius omnis alia eſt inſtar vmbræ in momento tranſeuntis. Ne perſiſtas in cortice exteriori, ſed attende ad radicem, Deum nimirum authorem omnis pulchritudinis: Non confidas in pulchritudine, quæ paruo aliquo morbo inſurgente euaneſcit. Currunt dies velociter, tranſit iuuentus, & tu quoque trànſis ad mortem, aut ad ſenectutẽ. Et quid tandem quæſo erit de corporali illa pulchritudine?

Pulchritudo magis adurit, quàm ignis. Nam hic ex propinquo: illa etiam è longinquo nocet. Conſidera parũ, quanta turpitudo abſcondita lateat ſub illa figura depicta. Ne ſubitò ad primum ipſius aſpectum impingas, ſed ſtatim recorderis eius vanitatem: Et tunc demum Deo in corde puro & ſimplici, & ab omni ſimili vanitate defæcato ſerules. Cura ante omnia adornari animam tuam pulchritudine durabili, quia alia eſt vana, corruptibilis, momentanea & tranſitoria, quæ in momento deſinit in meram miſeriam.

CAPVT XVI.

De vanitate preciosarum vestium.

Eccl. 11. IN vestitu ne glorieris vnquam, dicit Sapiens. Nisi vestium superfluitas fuisset mala, non cōmendasset Christus S. Ioannem Baptistam à vestium asperitate. In Euangelio S. Lucas accusat diuitem auarum à nimio vestimentorum luxu: dicit præterea Dominus, quod qui vtuntur vestibus preciosis, sint in domibus Regum, temporalium videlicet, non Regis æterni. Vnde colligitur quantæ vanitatis sit vestimentorum superfluo sumptu delectari. Quod si pompose vestitus non incedis ad malum finem, saltem perdis tempus, quod in magno pretio habendum esset. Qui preciosis vestibus induti sunt cupiunt videri, & parum proficiunt in virtutibus, & frigescit in his spiritus deuotionis: nec cum omni vestitu tuo pretioso vnquam lilijs agri pulchrior eris, vt nec Salōmon cum omni gloria sua, dicit Apostolus: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus: sufficit seruo Dei simplex & communis vestitus conformis cuiusque statui.

Matth. 6.
1. Tim. 6.

statui.

ſtatui. Fuge omnem curioſitatem, quia ſignum eſt, te paruam rationem ducere rerum interiorum, cùm adeò occupas te rebus exterioribus. Salomon dum nimium occuparetur in curiæ & perſonæ ſuæ cultu, obliuiſcebatur Dei ac animæ ſuæ: adeò vt proruperit ad adorandum idola. Homo videt ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor. Quod ſi adeò occupas teipſum in rebus exterioribus, iam oſtendis te velle placere hominibus, & ſic non eris ſeruus Chriſti ſecundum Apoſtolum. Sed ſi verè mortificatus eſſes, relinqueres ſuperfluas has curas, quæ impediunt interiorem hominis compoſitionem. Imò planè diſſipāt. Dicit S. Apoſtolus, quod ſancti veteris teſtamenti erant veſtiti pellibus camelorum, & caprarum. Cùm enim cognoſcerent ſe nudos prodijſſe ex vtero matris, & nudos ex hoc mundo exituros, verſabantur tanquam pauperes peregrini, in hoc mundo. Ante peccatum non indigebat homo veſtimentis: Nam quemadmodum ſol veſtitur lumine, ita homo erat veſtitus gratia: ac inſtar candidi lilij indutus erat candida innocentia. Sed ea amiſſa verebatur reperiri nudus: quamobrem Deus Patribus noſtris fecit tuni-

3. Reg. 11.

1. Reg. 16.

Galat. 1.

Heb. 11.

Gen 3.

cas ex pellibus animalium. Qui gloriatur in veſtimentis ſimilis eſt ei, qui ſeipſum laudat ob pannos, quibus obligantur vulnera ſua: quæ gloria vergit in confuſionem: nam ſtultus eſt cenſendus ille, qui gloriatur de vlceribus & deformitatibus ſuis. Vilibus veſtibus induebatur Iob, dum diceret: a *Saccum induebar ſuper carnem meam*. Aſpera erat veſtis Sancti illius regis, qui dicit: *induebar cilicio*. Gloriantibus verò de precioſo veſtimento minabatur Deus per Eſaiam: Tuum operimentum erunt vermes, vt intelligamus, quod hiſce vanitatibus Deus offendatur. Nemo verò introducat nouas veſtium adinuentiones, ſed timeat rigoroſum Dei iudicium. dicit Sophonias: Viſitabo ſuper Principes & ſuper filios Regis & ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina: Quia in huiuſmodi non deeſt leuitas & vana gloria dicit Eccleſ. *Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enunciant de eo:* Veſtes delicatæ arguunt mollitiem, & animi infirmitatem. Tu igitur eas abijce, ſi velis haberi ſapiens & probus. Quorſum ſubinde adimis pauperibus id, quod immodicè tribuis corpori tuo. Ne induas veſtes, quæ excedunt ſtatum tuum, ſed honeſtas &

Iob 16.
a Saccum cõſui ſuper carnem meam.
Pſalm. 34.
Eſaiæ 14.
Sophon. 1.
Eccl. 15.

ab

ab omni vanitate alienas. Contemplare Iesum Christum nudum in cruce ob amorem tuum, & parces multis inanibus sumptibus, varijsque inanibus curis te expedies.

CAPVT XVII.

De vanitate Nobilitatis Maiorum.

PVtredini dixi Pater meus es, mater mea es, & soror mea vermibus, dicit Sanctus Iob. si velis videre originem stemmatis tui, aperi sepulturā. Magnæ vanitatis est, quod vilis vermiculus filius Adami sese extollere velit ob nobilitatem stemmatis sui. Quidam sapiens dicit: Quid prosunt magni tituli? Quorsum arma & insignia antiqua? Nam quamuis omnes anguli domus tuæ essent pleni stemmatum tuorum antiquorum, sola virtus est vera nobilitas. Malo sit tibi pater Thersites, qui erat homo ignobilis, modò tu sis Achilles ille nobilis; quàm te esse Thersitem, cùm pater tuus fuerit Achilles. Sis probus, & à te ortum sumet Nobilitas, quamuis maiores tui fuissent ignobiles. Si cùm sis nobilis pusillanimis es, & vilis moribus, in te finem habebit *Iob.7.*

nobilitas ſanguinis tui. Præſtat eſſe principium nobilitatis, quàm finem, pluris fuerit dediſſe principium nobilitati, quàm finem: virtutis eſt incipere domũ, vitij verò deſtruere. Moribus tuis malis deturpas proſapiam tuam. Vt videas, ne quæſo petas lumen ab oculis alienis, ſi non habes in proprijs. Parum tibi prodeſt ſplendor nobilitatis aliorum, quam ipſe non habes. Melius eſt eſſe nobilem, quàm ortum ex nobilibus. Melius eſt eſſe virtute præditum, quàm illam emendicare ab alijs. Et quia in te non eſt vera nobilitas, quæris alienam, vt adornes te plumis alienis: hoc ipſo iudicas te eſſe pauperem, ſi rebus à maioribus præclarè geſtis te ditari cupis. Si natus ex nobilibus, tantò magis obligaris, vt talis ſis, quo reuera doceas te ex tali ſanguine prodire. Ex vna radice prodeunt ſpinæ & roſæ: & ex vna matre poteſt naſci nobilis & vilis: ac ita cùm alij potuerint eſſe roſæ, vide ne tu euaſeris ſpina. Cain, Cham, & Eſau habebant parentes nobiles, fratres nobiles, ipſi verò, & ipſorum poſteri fuerunt viles, & qui Nobilitatem ſuam obſcurârunt: non es nobilis, niſi quæ digna ſunt nobile præſtes. Animi generoſi

rosi est condonare iniurias, rusticorum verò est eas vindicare. Animi generosi est animo intrepido sufferre tribulationes, & occupare cogitationes in rebus magnis, non autem in rebus abiectis huius sæculi. Illa demum vera est nobilitas, quæ animum adornat bonis moribus. Non stemmatum splēdor, sed virtutum nobilitas facit hominem Deo gratum. Vera nobilitas est virtus, quā vt nemo tibi dare potest, ita nec adimere. Quid tibi quæso arrogas ex eo, quod alij acquisierint? cur teipsum laudas de eo, quod tibi parentes tui reliquerunt? Nobilitas stemmatis oritur ex generatione, nobilitas verò virtutis acquisitæ tua est, infusæ verò Dei. Ex radice amara prodit fructus suauis, & ex vili generatione potes esse nobilis, si fueris probus & amicus Dei. Multi orti parentibus nobilibus licentiam sibi sumunt maioris arrogantiæ. Gloria eorum à partu vtero & conceptu. Quæ obligant ad maiorem virtutem, assumunt ad maiorem inhonestatem. Nobilitas sanguinis obstringit nobiles ad maiora virtutis opera præstanda. Nobilitas est iuramentum perpetuum virtutis continuandæ. Qui verò non student, vt tales euadant, habentur pro monstris, quia Oseæ 9.

non aſſimilantur parentibus ſuis. Non te iactes de nobilitate parentũ, niſi velis haberi pro ſtulto. Dominus Deus vt oſtenderet ſe parum curare ſtemmatis antiquitatem, elegit Saul in Regem Iſraël, cùm eſſet ex infima tribu: Chriſtus non
1. Reg. 9. elegit Apoſtolos nobiles, ſed pleroſq; ignobiles. Nonne ſeipſum etiam æquiparauit paſtori ouium? Recordare quod ſis terra & cinis ſicut tui parentes. Nec tibi parcent vermes, qui nõ pepercerunt tuis parentibus. Nobilitas, quam ex hæreditate accepiſti, fuit mortalitas & corruptio. Hæc ſunt inſignia ſcuto tuo imprimenda, non in valuis ædium tuarum, ſed ante oculos tuos. Hæc & ſimilia verſentur quotidie in memoria tua quibus vanas, & otioſas cogitationes facilè expelles.

CAPVT XVIII.

De diuitijs temporalibus.

Psal. 61. SI diuitiæ affluant, noli cor apponere, dicit Pſalmiſta: Magnopere odio habere debet ſeruus Chriſti ea, q̃ poſſunt ſeparare à Deo. Vanæ ſunt diuitiæ temporales, quia finem vanum habent: dor-

dormierunt somnum suum omnes viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus suis. Vanum est id, quod separat hominem à fine tam excellenti, qui est Deus. Beatus est ille diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quis est hic & laudabimus eum? Diues aut iniquus est, aut iniqui hæres. Falco satur non agnoscit Dominum suum. Filius prodigus cum videret se diuitem, reliquit domum Patris sui, postquã verò inops factus est, reuersus est ad domum paternam. Diuitiæ eum separauerunt à Deo: paupertas verò reduxit ad eum. Si teipsum seriò velis dare Deo, spolia te ab omni mundana occupatione, & amore terreno. Quid turbaris erga plurima, vnũ est necessarium, si hoc quæris, subitò expedies te ab omni cogitatione terrena. Cùm nostri primi parentes in statu innocentiæ occupati essent circa spiritualem considerationem Dei, ita obliuiscebantur corporis proprij, vt non sentirent se esse nudos: statim verò perpetrato peccato, cùm attenderent rebus corporalibus, cognouerunt se esse nudos. Sanctus Apostolus Paulus, raptus vsque ad tertium cœlum, vtrum in corpore, an extra

Psalm. 75.

Eccles. 31.

Genes. 3.

cor-

corpus, dicit ſe neſcire. Qui enim eleuati ſunt verſus cœleſtia non attendunt ijs, quæ ſunt corporis. Et hæc quidem ignorantia eſt laudabilis, immò altiſſima ſapientia. Diſcipuli Chriſti addicti doctrinæ Magiſtri ſui, non attendebant ad res externas, adeo quod illotis manibus interdum accumberent menſæ: Phariſæi verò contrà. Vnde colligitur multũ differre cogitationes ſeruorum Dei, à cogitationibus hominum mundanorũ, qui dum ſeſe occupant rebus parui momenti, negligunt maiora, & cùm nimium attendunt ijs, quæ conueniunt corpori, vix tempus habent cogitandi de rebus animæ. Cogitationes filij ſunt diuitiarũ, quarum occupationes ſuffocant ſpiritũ. Sperne vanitates bonorum corruptibilium, vt liberius poſſis ſeruire Deo: non enim potes volare ad cœlum, niſi diſruptis vinculis mundi, quibus es constrictus. Non te ſeparet ab amore Ieſu Chriſti ſuauitas huius ſæculi: venenum in cibo ſapidiori porrigitur, quiq; illud ſumit facilè trahitur ad ſepulchrũ. dulces ſunt diuitię amantibus. ſed mors in olla; cum etenim reddant hominem inſolentem & ſuperbum, trahunt ſecum ad mortem æternam. dicit Eccleſ. Qui amat diuitias, fru-

fructum non capiet ex ijs. Et qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli, dicit Apostol. Omnes enim creaturæ sunt homini, qualis homo erga seipsum est. Bona anima non potest offendi rebus exterioribus, nec malus ijs iuuari. Quid prodest multitudo diuitiarum carni nostræ corruptibili, quæ non possunt illam liberare à morte? Bona est illa anima, quę non est subdita diuitijs. Dormierunt somnum suum viri diuitiarum, dicit Psalmista, viri diuitiarum, id est serui diuitiarum, non domini: Lucrum enim cum mala fama est dispendium: cùm serui sol liciti sunt pro Dominis, Domini dormiunt, sed tantùm abest, vt diuitiæ dominos à cura liberent, immò magis onerãt. Vanus es, si in hisce bonis corruptibilib' ponis vltimum finem tuum. Sperne igitur ex toto corde omnes res terrenas, & implebitur cor tuum cœlestibus. 1.Tim. 6.

CAPVT XIX.

De Diuitijs temporalibus.

OMnia reputaui vt stercora, dicebat Apostolus, cùm loqueretur de rebus huius mundi: non enim inueniebat Philip. 3.

rem

rem viliorem, cui compararet diuitias, quàm ſtercora, & licet alioquin eſſent magni pretij, parui eas æſtimare deberes, dummodo illis comparare poſſis bona cœleſtia, quanto magis cùm in ſe ſint viliſſimi pretij. Quid enim eſt aurum, niſi fex terræ? Quid argentum & gemmæ pretioſæ, niſi fex terræ in ijs congeſta? Quid ſunt ſerici vndulati, damaſceni & huiuſmodi alij panni niſi ſtercus vilium vermium? Quid ſunt panni ſubtiles, niſi lana beſtiarum? Quid ſunt pelles gibillinæ & ſimiles, niſi corium animaliū mortuorum? Quid palatia depicta, altæ turres, & ſumptuoſa ædificia, amplæ & populoſæ ciuitates, niſi terra? Quid honores? nihil. Quicquid demum eſt in mundo, eſt terra. Amas bona terrena (ſi modò dicenda ſint bona) amas terram. Agnoſce vanitatem eorùm, quæ mundus tibi porrigit, & caue cor tuum ijs apponas. Mirum certè eſt: cùm ſis tam excellens creatura facta ad colendum Deum, eoq; fruendum, quod adeò vilem te facis, vt adijcias animum rebus tam vilibus. Si vis te haberi nobilem, ama res nobiles, id eſt, ſpirituales, iuxta nobilitatē, quam indidit Deus cordi tuo generoſo: cùm te creauerit ad imaginem & ſimilitudi-

tudi-

tudinem suam. Sicut amor transfert amantem in rem amatam, adeò quod amplius nòn sit suus, sed rei amatæ: Sic cùm amas hæc bona terrena, vilia tamen, das illud, quod melius est, pro eo, quod non est tale: das cor tuum pretiosum pro stercoribus terræ. Hęc sunt planè te indigna, quibus ostendis te non solùm ignorare teipsum, sed etiam renunciare præcipuis tuis priuilegijs. Ama itaq; Creatorem tuum, non quod diuina eius Maiestas indigeat tuo amore, sed ad vtilitatem tuam, ad honorem tuum, quia dum transformas te in eum, per amorem plurimum lucraris; dando id, quod bonum est, pro eo, quod per excellentiam non admittit aliquod pretium. Vide quàm parui ducat Deus res terrenas, cùm ijs priuauerit amicum suum singularem Iob ad instãtiam Sathanæ. Aperi oculos, & considera quantũ te humilies, dum inordinatè amas diuitias, & quantum rursus te exaltes, dum eas contemnis. Auoca igitur animum ab his vanitatibus, eumq; soli Christo impende.

CA-

CAPVT XX.

Non superbiendum propter diuitias.

Sap. 7. *Non comparaui illi (nempe sapientiæ) lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius*, dicit Sapiens. Diuitiæ huius mundi sunt mera paupertas. Ne adijcias cor tuum vanitati creaturarũ, sed illud eleua ad Deum solum. Ne animum rei tam vili submittas. Ad hoc creauit te Deus vt amares res cœlestes, & parui duceres res terrenas. Et quia Deus vtilitatem tuam quærit, ideo tibi exposuit omnia, quibus indiges. Liberaliter subministrauit panem, vinum, carnem, ac alia huiuscemodi, vt ea facilè inuenias, superflua verò, aurum & argentum recondi voluit sub terra, ne ea desiderares. Ne auidius appetas res tam vanas. Dicit Psalmista; filij hominum, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mẽdacium? Cùm te ratione præditum creare Deus voluerit, cur ea adeò abuteris, vt ponas vltimum finem tuum in bonis terrenis, cùm creatus fueris ad possidendum

dum cœleſtia. Vanitas eſt id, quòd amas, dicit Pſalmiſta: & mendacium, quod mũdus promittit. Hoc aurum, eſt terra: & ſerica iſta, in quibus ponis delitias tuas, fiunt ex viliſſimis vermibus, quibus nihil vilius. Hæ ſunt pretioſæ illæ gemmæ, quibus illas adornas: Hæ pretioſæ illæ fimbriæ, quas dilatas, quæ nihil aliud ſunt, quàm vanitas. Ne igitur glorieris in tuis veſtimentis, aulæis, cortinis, & ſimilibus. Quia in his non conſiſtunt veræ diuitiæ, nec faciunt hominem diuitẽ, nec prudentem, humilem, patientem, caſtum, benignum, aut manſuetum ex iracundo, vel ex inuido charitate præditũ. Si igitur diuitiæ nihil conferunt ad animi virtutem, imò potius obſunt, cur eas tam impatienter amas? Non vides te ſerpẽtes, aut ſcorpiones in ſinu fouere, qui ad aliud non proſunt, quàm poſtquam eos calore tuo confoueris, vt te veneno ſuo perimant? Ita calore inordinati deſiderij tui nutris & auges has diuitias, quæ depaſcentes in tuis viſceribus rodũt conſcientiam tuam, ſuffocant ſpiritum, & ſaluationem tuam in maius periculum adducunt. Hoc eſt quod amas homo cęce, hoc eſt, quod quęris, hoc demũ te conſumit. Recollige te parum, vt cognoſcas

bonorum istorum falsitatem. Ita demũ poteris animum tuum attollere ad amã-dum alia maiora & veriora.

CAPVT XXI.

De amore diuitiarum terrenarum.

Ioan. 2. NOlite diligere mundũ, nec ea, quæ in mundo sunt: admonet naturæ lumen te non debere amare res istas naturales, ratione sui, quia amor est tanti pretij, vt non debeatur, nisi ei, qui potest redamare eiusdem monetæ compensatione. Et quia nulla naturalis creatura hoc potest, ideò non debes cor tuum apponere rebus huius mundi. Hoc etenim est peruertere ordinem, dum rebus quæ ad solum vsum destinatæ sunt, frui cupis. Solo Deo frui debes, eum propter se amando, tanq̃ summum bonum, ex toto corde tuo. Vti verò debes rebus tanquam seruis referendo illarum amorem in Deum, & ad eum solum ordinando. Creauit Deus hominem ad similitudinem suam, vt more aliorum animaliũ, amaret sibi simile. Cùm itaq; non habeas similitudinem cum rebus terrenis, Deum, ad cuius similitudinem factus es, amare debes, non bona ista terrena.
Genes. 31. Toto eo tempore, quo Iacob habebat filios ex Lia eius ancilla, nunquam recor

da-

dabatur reditus in patriam: ſic etiam amatores bonorum temporalium,&circa res exteriores occupati obliuiſcuntur patriæ cœleſtis. Sed poſtq̃ ſuſcepiſſet liberos ex Rachel ſtatim animum adiecit ad reditum in patriam: ſic fit, vt deſiderent gloriam cœleſtẽ,qui omiſſo rerum terrenarum deſiderio hic in operibus virtutũ ſe aſſiduè exercuerunt. Mortuo rege Aegypti clamârunt Iſraëlitæ ad Deum,fueruntq́; exauditi, verùm ante eius mortem quantumuis clamarent, non exaudiebãtur: boni & mali omnes clamãt ad Deum,ſed non audit Deus mundanos, quia nondum occiderunt Regem Ægyptiorum,nimirum rerum terrenarũ amorẽ. Occide igitur amorem mundi, & ſtatim Deus te exaudiet. Hæc eſt amoris vis ac efficacia,quod talem te debeas præſtare, quale illud eſt, quod amas; accipe figuram eius,quod amas. Cum anima noſtra ſit inſtar ceræ albæ,manet in ea expreſſa imago, quam quiſque impreſſit. Si poſueris ſpeculum verſus cælum,inuenies in eo cœlum figuratum, ſi conuerteris verſus terrã, videbis in eo figurã terræ,& aſſumes eam figuram,cui te applicueris. Adeò quidquid habes bonitatis & malitiæ id rei amatæ debes. Nabuchodono-

Gen. 30.

dono-

Dan. 14. donoſor amando mundum, fuit tanquã beſtia depaſcens herbas in montibus, reuerſus verò ad Deum recuperauit veram imaginem, quam antea amiſerat. Solem, Lunam, & omnes alias creaturas dixit eſſe bonas, & pro talibus approbauit: Creauit Deus hominem, non tamen dixit eſſe bonum vel malum, non quod aliæ creaturæ ſint meliores, quum propter eum ſint creatæ. Cur ergo dixit Deus omnes alias creaturas eſſe bonas, idq́; nō dixit de homine, cùm melior ſit his? Quid ita? quia expectauit, vt homo per liberum ſuum arbitrium operaretur, vt conformiter ipſius electioni vocaretur, vel bonus, vel malus. Si amas quod bonum eſt, bonus es: ſi amas quod malum eſt, malus es: ſolus etenim homo habet libertatem ad vtrumlibet, alia verò animalia non habēt. Dicit Apoſtolus: Quod

Rom. 1. multi mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis, volucrum, quadrupedum, & ſerpentū. Proinde vide homo mūdane formas & figuras, quas recipis in anima tua, cùm amas hæc bona terrena. Propria animæ habitatio eſt cœlum, vbi habitare de

Philip. 3. bet perfectus, ſicut dicit Apoſtolus. Noſtra conuerſatio eſt in cœlis. Ne ames diuitias

nitias, & diues eris. Magnæ ſunt diuitiæ, non deſiderare eas. Quis multa poſſidet? qui pauca cupit. Præcepit Deus, ne quis ſumeret ex theſauris Hiericho, quæ ratione mutabilitatis ſuæ repræſentat hunc mundum. Nec tales theſauri debent deſiderari à fidelibus, alioquin trahent eos in perditionem cum Acham. *Ioſ. 7.*

CAPVT XXII.

De contemptu diuitiarum.

QVI non renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Sperne ex animo bona hæc trãſitoria. Qui ſecuti ſunt Chriſtum, tantum diuitiarum reliquerunt, quantum deſiderare poſſent ij, qui eum non ſunt ſecuti, & adeò eſt voluntas noſtra immenſa in deſiderando, vt qui eam ſequitur, nunquam ſatietur, & qui eam relinquit, omnia relinquat, quare tam multum reliquit S. Petrus, quantum potuit deſiderare Alexander. Si verò hæc omnia contemnis, inuenies teipſum; quæ ſi amas, teipſum perdis. Fœlix illa anima, quæ pro viribus ſtudet renunciare rebus hiſce tranſitorijs. Sperne bona corrupti- *Lucæ 14.*

bilia, vt acquiras bona æterna. Auro & argento non homines, ſed beſtiæ onerandæ ſunt. Nullum quoq; animal plus oneris accipit, quàm ferre queat: Sed amator diuitiarum fert quicquid oneris ipſi imponitur. Exonera teipſum renunciando vanis hiſce honoribus, & longè facilius incedes. Cur ita onuſtus iter facere audes cùm non deſit pauper, qui te iuuet in ferendo onere? Melius tamen incedes vacuus, melius luctaberis nudus. Luctãdo cum dæmone nudus, facilè eum ſuperabis, ſed ſi veſtitus fueris, citò ab eo ſuperaberis. Chriſtus nudus luctatus eſt in cruce, quem ſi ſequi voles, ſpolia cor tuum ab omni bono temporali. Ioſeph in Ægy-
Geneſ. 39. pto tentatus à mundo, reliquit togam in manu perſequentium: & ſpoliatus deuicit mundum. Centuplũ accipient, dicit Dominus, qui cõtemnũt diuitias. Nihil eſt magnũ in rebus humanis, niſi anim⁹ eius, qui contemnit res magnas. Quis eſt pauper, niſi qui ſibi videtur eſſe diues? Qui plus habet, minori gaudet libertate, nec tam facilè cor ſuũ attollere poteſt ad Dominum Deũ. Crates Thebanus fuit magnus diuitiarũ cõtemptor, exiſtimãs eas impedimento eſſe philoſophiæ, & tu deditus ſcilicet Deo, adhuc operam dare
audes

audes rebus temporalibus? Non potes vel per terram iter facere ferens onus, & adhuc ſperas te iturum ad cœlum, cum ſis onuſtus? Ad quodcunq; officium peragendum ſoles te quouis onere & ſolicitudine extricare, & tamen ad cœlum iturus, non te omninò exonerare ſtudes? *Matt. 16.* Quid verò prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? dicit Deus. Vnumquodque animal, quod graditur pectore per terram, eſt abominabile. Abſurdum denique eſt, hominem creatum ad poſſidendum cœlum ſtudere reb. terrenis, quo facto ſanè oſtẽdit homo ſe prorſus indignum eſſe cœlo: Legiſtíne quos *Iudic. 7.* dimiſit Gedeon? eos videlicet, qui tanquam beſtiæ pectore in terram ſe prouoluerent, vt biberent aquas huius mundi, eos à ſe repulit Gedeon. Etſi magnas diuitias acquiſiueris, credas Iob qui dicit: *Iob 1.* Nudus egreſſus ſum de vtero matris, nudus reuertar in terram. Rota molendini tota die reuoluitur, nec quieſcit, ſed quantumuis aſſiduè voluatur, ſemper inuenitur veſperi, vbi erat manè, nec mutat locũ: Sic quantumuis diues hũc mundũ circuieris, in morte tamen æquè pauperem te inuenies, atque in natiuitate

fuisti: Nudus ingressus es in mundū, nudus etiam reuerteris ad sepulcrum. Sic quo statu cœpisti, eodem etiam finire debes. Et prout venisti ita egrederis: coneris quantumcunq; velis, vt fias diues, operā & oleum perdideris. Vanitatis est meræ in tam breui tempore cōgregare diuitias temporales huius mundi. Tu igitur eas contemne, & in æternum gaudebis cum Christo.

CAPVT XXIII.

De vanitate risus mundani.

Lucæ 6. VÆ vobis qui ridetis, quia flebitis dicit Dominus, væ vobis, qui habetis consolationem vestram in hoc mundo, in altera verò vita prorsus desolandi: væ ijs qui viuunt in delitijs, quia tribulationes sustinebunt. Beatus ille qui in hoc mundo mortificatus pro Christo secum semper fert dolorem sacræ suæ passionis ob oculos. Fœlix ille, qui in hac valle lachrymarum luctu pascitur. Multum sanè homo flere debet, dum recordatur cœlestis illius Siō pacificæ & naturalis patriæ suæ, dum videt se proscriptum inter confusas, & amaras aquas

quas

aquas Babylonici ſtatus huius mũdi. Fœlices eos qui lugent, quia conſolabuntur dicit Deus : abſterget Deus lachrymas, ab oculis eorum; felices certè lachrymas quas abſterget pia manus creatoris: terra ſicca producit tribulos, ſpinas generat & ſerpentes, ſic anima tua producet vanitatem & immunditiam, niſi eam aſperſeris aquis lachrymarum. Conuenit vt pluat ſuper terram. Omnis caro corruperat viã ſuam, & in remedium demiſit Deus aquas diluuij in cor tuum, quibus extinguatur omnis tua concupiſcentia: fœlix diluuium quod mortificat corpus, & extinguit deſideria mundana, & fœcundat terram ſterilem. Vani ſunt illi, qui in hac vita quærũt delitias & voluptates. Et vanitatis eſt magnæ temporaneam conſolationem appetere. Melius tibi erit in articulo mortis, ſi antea planxeris defectus tuos, & peccata, quàm ſi expenderis vitam hanc miſerabilem in falſa voluptate: ſi hic velis habere ferias in altera conſequeris vigilias. Si hic vitam tuam tranſegeris riſu, poſt mortem in inferno continuè flebis: dicit Iob, antequã comedam ſuſpiro: vigilia debet præcedere feſtum. Quia ſancti primũ ieiunabant, poſtea comedebant. Contrariũ fit in mundo, vbi

Apoc. 3.

Iob. 3.

primò comeditur, deinde soluẽdum est symbolum. Mors prompta est ad exigendam rationem, quam vsq; ad extremum quadrantem reddere debemus. Valdè carè constabunt tibi risus tui, si per eos cõparandi tibi sunt planctus æterni: amaræ sunt tuæ consolationes, cùm ijs respondeant tormẽta ęterna. Et licet hodie quasi securus te plurimum recrees, nõ deest, qui seriò annotet omnia tua dicta, & facta. O si hoc cogitares, multò sanè restrictius viueres. Si cogitares de pœnis inferni, vbi (nisi antea pœnitentiam egeris) recreatiões illas admodum rigorosè persoluere cogeris. Sicut de bonis dicit S. Iob
Iob 1. antequam comedam suspiro, quod solẽt facere sancti, sic de mundanis scribit; Ducunt in bonis dies suos, & gaudent ad sonitum organi, & in puncto ad infernum descendunt; sicuti auaro diuiti Epuloni dixit Abraham: Recordare, quia recepisti bona in vita tua, Lazarus verò similiter mala; nunc Lazarus consolatur, tu verò cruciaris. hunc terminum pariunt consolationes mundanæ, & hic est finis vanæ gloriæ huius mundi.

Nunquam legitur Christus risisse, sed sæpenumerò fleuisse. Fleuit in Natiuitate sua, in resurrectione Lazari, super ciui-

tatem

tatem Hierosolymitanam, in cruce, imò tota eius vita fuit diuturnus fletus, & pœnitentia continua. dicit Dominus: Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Infans non vtitur alijs armis, quàm lachrymis. Tu quoq; ijsdem te defendas à furore diaboli. Pharao in aquis submersus fuit, & dæmon in aquis lachrymarum destruitur. Vanũ est dedere se voluptati in hoc mundo cũ tantis periculis. Dicit Sapiens: *Risum reputaui errorem, & gaudio dixi quid frustra deciperis?* Moyses maluit affligi cum populo Dei, quã particeps esse gaudij mundani: nec voluit dici filius filiæ Pharaonis: *Lachrymæ iustorũ conuertentur in gaudium* Ioan. 16. *Tristitia vestra*, inquit Dominus, *vertetur in gaudium*. Et Psalmista; Secundum multitudinem dolorũ meorum consolationes tuæ lætificauerunt animam meam: Melius est tribulari cum iustis, quàm comedere panem lætitiæ in mensa peccatorum. Melius est lugere in solitudine, quam ridere in aulis Principum.

Pro. 14. Hier. 31. Psal. 93.

Sperne igitur momẽtaneam hanc lætitiam, vt postea percipias immensam in gloria æterna.

CAPVT XXIV.

De vanitate delectationis mundanæ.

Tob. 5. QVale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, dicit Tobias angelo: Quasi dicat vanitatis esse hic affectare recreationem inter tenebras huius mundi: Ambulamus in tenebris, vt non videamus quid nobis expediat, quid nō expediat, adeo vt nec nosipsos agnoscamus.
Eccles. 15. Dicit Sapiens: Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, nec facilè delectari potest iter faciēs, qui dubitat de via, vtrum sit bona, vel mala. Vanitas est sumere recreationē in huius peregrinationis via, cùm nescias vtrū Deo sis accept⁹.

Vanitatis est, si homo quærat delectationem in statu ex quo potest præcipitari in infernum, & cùm id quocunq; tempore accidere possit, æquum est vt semper viuas inter spem & metum. Et cùm ambules de nocte, & dubites de via, mirum est quomodo possis esse hilaris. Parum ei gaudij suppetit, qui videt ardere domum vicini sui. Vanus es, si in voluptatibus consumis dies pœnitentiæ, cùm ami-

amicos tuos ſingulis horis mori videas, certã cernis mortem, dubiũ etiam ſtatũ, in quo verſaris; vanus es profectò ſi oblitus es timoris Dei, operam dans riſui & recreationi. Magis triſtatur, quàm gaudet parens, qui videt vno eodemq́; die filium naſci & mori. Breue eſt gaudium huius mundi dicit Sapiens. Stultum eſt de propria ſtultitia delectari. Vanum eſt ineſcare cor ſuum delectationibus, quæ finiuntur antequam incipiunt. dicit Iſaias: *Suſpirauerunt & planxerunt omnes illi qui ingemuerant, omnes, qui lætabantur corde, ceſſauit gaudium, &c.* Vanum eſt gaudium auium inter inſidias hominum, eſcam captantium; & piſcium, qui delectantur eſca hami, quæ adeo vicinũ ſecum fert dolorem mortis. Vanus es & irrationabilibus creaturis ſimilis, ſi gaudes & gloriaris inter proſperitates huius ſeculi, cùm mors tibi ſit adeò vicina. Tempus breue eſt, reliquum eſt, vt qui gaudent, tanquam non gaudentes ſint. 1. Cor. 7.
Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas: Via recta eſt, cuius media ſunt conformia principijs & finibus. Circuit ſæpè oberrans, vt redeat ad viam veram, antequam perueniat ad præſcriptum terminum. Diuina ſcriptura multis in locis

nos comparat iter facientibus & peregrinis. Incipimus ire nascentes, & cum morte capit finem iter nostrum.

Sap. 7. Roga Salomonem qualia sunt principia prima. Primam vocem, inquit, similem omnibus emisi, plorans subitò ac de vtero matris egressus. Nemo enim ex Regibus habuit aliud natiuitatis initium. Vnus introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. Natus es plorans, & morieris plorans, sed si vis viuere ridens, nõ incedis per viam iustorum. Et es ex illis, de quibus in Psalmo: Impij in circuitu ambulant. Adaptentur media principio, & fini, & viue prout natus es, & quemadmodum morieris. Non multum cures

Iob. 1. vt diues fias. Nudus natus sum ex vtero matris, & nudus reuertar in terrã, inquit Iob. Ne ædifices ampla & superba palatia, cũ in natiuitate tua ingressus sis parua cunabula, & post mortem habiturus es pro domo strictum & paruum sepulchrum. Ne cupias magnus esse in hoc mundo, cùm tam paruus fueris in natiuitate, & tam humilis futurus es in morte. Pauper, & paruus venisti in mundũ, non magnus & diues. Non vtiq; natus es ad vindictam, nec vt euaginato gladio ingrediaris sepulchrum, vide igitur fac

viuas

viuas in pace, & mansuetudine in hoc mundo. Iob loquebatur ita ad Dominũ; dimitte me Domine, vt plangam paululum dolorem meum: Non petebat vir sanctus differri sibi vitam ad ridendum, & se recreandum, sed ad plorandum: Sic tu quoq; facias. Ne ames diuitias, ne quęras hõnores, non conteras tempus in lætitia, quia vanitatis est: sed peccata tua defleas. Fac pœnitentiam in hac vita, vt possis peruenire ad cœlum. Dicit Dominus: Tristitia vestra vertetur in gaudiũ. O beatum dolorem, qui expectat pręmium tam præclarum. Ama sanctam compunctionem, aspira ad patriam cœlestẽ, ne eligas tibi paradysum & delectationẽ in præsenti exilio. Actum de te est, & aberras à via, si hic velis viuere in lætitia. Recollige te igitur, & dirige vias tuas, amplectere lucem Redemptoris tui, meditando acerbissimam eius passionem, vt peruenias ad finem desideratum, ad fœlicitatem nimirum, ad quam creatus fuisti.

Iob 10.

Ioan. 16.

CAPVT XXV.

In qua re debeat homo delectari.

Phili.4. GAudete in Domino ſemper, iterũ dico Gaudete, dicit Apoſtolus. Gaudium ſerui Dei debet ſolum eſſe in Domino Deo, vanus eſt ille, qui in alio gloriatur quàm in Deo: nõ vult Deus, vt viuas triſtis, ſed lætus & hilaris, ſolùm petit vt mutes cauſam lætitiæ, & pro falſa illa mundi lætitia, amplectaris verã. Gaudebant Apoſtoli, cùm dicerent redemptori, quod dæmones illis obedirent: quibus Dominus dixit, nolite in hoc gaudere, ſed gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. ſic prohibet non omne gaudium, ſed falſum. Omne gaudium extra Deum eſt vanum, & ſine fundamento: in ſolo Deo debes gaudere, non in alia quauis re, quæ eſt ſub cœlo. Gaude cum Apoſtolo de bona conſcientia tanquam pignore ac teſtimonio veri gaudij, quod percipies in cœlo. *Luc.10.*

Erat Dauid ſine Deo, & dicebat ſe noctes & dies verſari in lachrymis, nec poterat reſpondere Deo: quia vbi Deus nõ eſt, impoſſibile eſt ibi eſſe verum gaudium.

Gau-

Gaudium mundanorum qui lætantur in malo, non est verum, quia non fundatur in bona conſcientia. Sanctus Ioannes Baptiſta gaudebat in vtero matris ſuæ, quod erat iuſtum gaudium. Vanum verò eſt gaudium, quod pro fundamento non habet gratiam. Habe igitur gratiam apud Deum, & habebis verum gaudium. Viſne diuitias? gloria & diuitiæ in domo eius. Vis pulchritudinem? Dicit Dominus ſponſæ: Tota pulchra es amica mea. Vis vitam? Dominus eſt vita tua. Vis ſalutem? Salus populi ego ſum, inquit Dominus. Vis pacem? Dominus eſt pax noſtra, teſte Apoſtolo. Vis honorem? Audi Pſalmiſtam. Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Si tecum habes Deum, verum gaudium habes, quid amplius requiris? Meritò lætatur, qui ſecum habet fontem gratiæ, renuncia igitur omni gaudio temporali, pluris ſit tibi momentum vnius conſolationis ſpiritualis quibuſuis gaudijs mundi.

Luc. 1. *Pſalm. 111.* *Cant. 4.* *Pſalm. 34.* *Eph. 4.* *Pſalm. 138.*

Nullus guſtus verus eſt ſine Deo; omne gaudium breui tempore euaneſcit. Iſmaheli filio Abraham ſecundum carnē defuit aqua, quam portabat cum matre Agar: ſed non Iſaaco filio ſecundum ſpiritum.

Gen. 21. *Gen. 26.*

Consolationes mundanæ valdè citò deserunt malos, sed consolationes iustorum sunt putei aquæ viuæ nunquam deficientis: ita hæc lætitia est certa & secura, quam (dicit Dominus) nullus tollet à vobis.

Ioan.16.

Multi mundanorum gloriantur in vestitu, sed hæc gloria non est propria ipsorum, sed vestium. Alij gloriantur in diuitijs: & hæc non est ipsorum, sed diuitiarum: hæc non est ipsorum, sed bonorum temporalium; aufer hęc ab eis, & recedet illa gloria. Sed gaudiũ in Domino, quod est bonæ conscientiæ, nemo tollet à nobis, nisi velimus: quod gaudium reliquis Spiritus S. fructibus meritò connumeratur. In creaturis non potest esse gaudium plenum, sed gaudium in Domino est plenum, quia infinitum suęque infinitę bonitati conueniens.

Gaudium correspondet desiderio sicut quies motui. Tunc est quies quando nihil restat ex motu: Tunc gaudium erit plenum, cùm nihil vltra desiderabitur? Et quia in rebus huius vitæ nunquam desiderium accipit perfectam quietem, hinc sequitur, quod in creaturis non reperiatur perfecta quies. Sed quia Deus solus implet desiderium nostrum, solus

illc

ille amandus, vt cõsequamur perfectum gaudium, dicit Propheta Regius, quod ſolus Deus impleat bonis ſuis deſideriũ noſtrum; & Anna mater Samuelis dicit: *Exultauit cor meum in Domino, & exultatum eſt cornu meum in Deo meo.* 1. Reg. 2. Breuiter, cùm mundi gaudium ſit vanum ac falſum; in Deo ſolo gaudendum.

CAPVT XXVI.

De vanitate honoris mundani.

NIMIS honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum; dicit Propheta. Psalm. 132. Si amicus es honoris, ſis amicus Dei, cùm is, qui gratus eſt Deo, ſolus acquirat verum honorem: vanitas eſt quærere honorem ſæculi præſentis: magno enim labore acquiritur, & multo ſumptu conſeruatur, & cito finitur. Seruis Dei ſolis competit verus honor. Omnes illi quos nunc honorat mundus fuerunt amici Dei: honor, quem ſancti habent tam in cœlo, quàm in terra, fugiendo, non ſectando acquiſitus eſt. Vis honorari? Humilia te, & ſis paruus; vis vt omnes te cognoſcant? Labora ne quis te cognoſcat: Vmbra fugit ſequentem, & acqui-

quiritur ſi in terram procumbas : ſi te cognoueris terram & cinerem, nec deſideraueris vanos honores, eos per humilitatem acquires : ſi appetis honorem perpetuum, fuge temporarium. Reſpice quem finem habituræ ſunt omnes hæ vanitates, & facilè ſpernes omnes vanos honores mundi. Nunquam ne vidiſti in aliqua proceſſione circumferri ligneam imaginem, cum multo faſtu & pompa. ſplendidè indutam, gemmis commodato acceptis, quam vnuſquiſque admiratur? Sed finita proceſſione ſpoliatur, reſtitutis cuique ſuis gemmis, ac ornamẽtis: ſic tecum agitur, qui quantumuis te exiſtimas magnum ac potentem, debilis es ac peccator, licet nunc te videas euectum in ſublimem honoris thronum. Quamdiu durat hæc breuis vita, commendaris ab hominibus inſtar imaginis ligneæ rebus commodatis exornatæ. Commodato accepiſti hãc dignitatem, commodato accepiſti quicquid poſſides, nec exiſtimes id tuum eſſe, quod moriens tecum ferre non potes. Hiſce rebus planè alienis ad tempus exornaris, ſed ad finẽ vitæ quid de illis fiet, cùm aduenerit veſpera & mors? Hæc omnia reſtituenda ſunt mundo, tu verò pau-
per

per & nudatus omnibus hiſce honoribus ingredieris ſepulturam. Magnos reges & prælatos nouimus, qui veſtiti ſplendidis veſtibus, & aucti dignitatibus, honorabantur inſtar illius imaginis ligneæ: poſt mortem verò pedibus aliorum cōculcabantur. Et ſic heri honorati hodie humiliātur, heri omnes de illis ſermones ſerebant, hodie verò non eſt qui eorum recordetur. Tranſit illius vanitatis ventus, trāſit feſtum, honorq; eorum emarcuit. Ac vtinam mundi ac vanorum honorum amatores non aliud ſupplicium poſt mortem exſpectarent, quàm quod veniant in obliuionem hominum, & non eueniat ijs, quod ſubinde accidit imagini ligneæ, quæ in partes confracta inijcitur in ignem, ne & ipſi pro ſua mercede inijciantur in ignem infernalem. Videſne vani huius honoris præclarum finem?

Verus ſeruus Ieſu Chriſti non deſiderat honorem temporalem, quem cognoſcit eſſe vanum ac trāſitorium. Amat magis ſeruus Chriſti honorem Domini ſui, quàm proprium. Fœlix ille qui tantum amat honorem Dei ſui in omnibus quæ agit. Fœlix ille qui in humilitate ſequitur Ieſum Chriſtū, & ex animo ſpernit

nit vanam gloriam huius sæculi, vt semper regnet cum Christo. Ne expetas honorem huius mundi, & acquires verum honorem cœli, caue relinquas rerum veritatem pro vmbra illarum. dicit Apostolus: Nolite esse pueri sensibus. Pluris facit puer equum arundineum, & puella puppam quã veros equos, & veras dominas. Ne præferas vmbrã veritatis ipsi veritati.

1.Cor.14.

Diuitiæ & honores huius mundi sunt vmbra verorum honorum cœli. Ne adijcias animum hisce nugamentis & honorum fumis, cùm sis homo rationalis, discursu & iudicio præditus.

CAPVT XXVII.

De periculo honoris mundani.

Eccl.7.

NOli quærere ab homine ducatũ, neque à rege cathedram honoris. Qui ascendunt super fastigia ædificiorum versantur in magno periculo. Necesse est habeant bonum cerebrum, quia alioqui caderent in partes. Si aspiras ad honorem huius mundi, opus est habeas multum cerebri, & sis amicus Dei, ne cadas in infernum.

Periculosior est prospera quàm aduersa fortuna; cadent à latere tuo mille, dicit

cit Psal.& 10000. à dextris tuis. plures pe *Psal. 90.* reunt à dextris honorum huius mundi, quàm à sinistris nimirum sui status. Fœlicitas mundanorũ est malitia omni castigatione indigens. Ne ascendas locum honoratum, ne postea maiori cum ignominia descendere cogaris. Phreneticus patitur multas imaginationes, quas nisi à se repulerit, res non caret periculo. Abijce has varias honorum curas, quas nisi abieceris, versatur anima tua in periculo. Amoue abs te vanitatem superbarum cogitationum, si velis acquirere salutẽ. Nunquam enim satiaberis, nisi procul abs te hasce imaginationes amoueris: periculosus est honor mundanus, multique seipsos perdiderunt in honoribus: multi ad defendendum suam bonam existimationem audent offendere Deum, infamant proximum, nec volunt ipsi restituere famam: potius malunt ire ad infernum, quàm amittere honorem mundanum; potius malunt cõseruare domũ & honorem mundanũ, quàm exoluere debitum. Ex principibus (inquit S. Ioannes) multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur: dilexerunt enim gloriam hominũ magis quàm glo- *Ioan. 12.*

riam

riam Dei. Hic est ille periculosus status, in quo viuunt amatores honorum temporalium, qui malũt animam suam perdere, quàm honorem, quem à mundo accipiunt. Condemnauit Saluatorem Pilatus, cognoscebat eius innocentiam, & quod per inuidiam Iudæi eum accusarent, & cupiebat eum liberare, sed cùm dicerent accusatores, si hunc dimittis, nõ es amicus Cæsaris, cùmque esset amicus honoris, & timeret eo se priuandum, adiudicauit eum morti: repugnabat æquitati & rationi, ne caderet in indignationẽ Cæsaris: magis elegit offendere Deũ, quàm aliquid diminuere de suo statu. Si tu igitur amaueris cum Dei offensione honorem mundanum, miraculum erit, si te possis extricare ab infinitis erroribus. Multi eunt ad infernum, quia nolunt priuari honore mundano. Periculosus est hic status: si seriò respicerẽt pericula, in quibus viuunt ij, qui in alto gradu constituti sunt, facilè relinquerent illum statum honoris vanum. Multi sanè perdiderunt seipsos in huiusmodi honoribus.

Adam in paradyso terrestri in magno honore fuit, & grauiter lapsus est: Iob per contrarium multis tribulationibus conflicta-

flictatus eſt, & non peccauit. Adamo in paradyſo omnia obediebant: Iob verò in fimo contemptus ſedebat, & non peccauit.

Is qui ſtat in alta turri aut loco lubrico exponit ſe ruinæ. In maiori periculo verſantur ij, qui ſtant in altis faſtigijs ſublimium ædificiorum, quàm illi qui verſantur in planitie. In humili ſtatu non adeò timere debes, & viues ſecurior. Nobiles & illuſtres huius ſæculi magis regnant in otio, matre omnium vitiorum & virtutum nouerca. Dum otiosè tempus expendunt & conterunt in luſibus & voluptatibus, delicijs & commeſſationibus lautiſſimis, longè grauius illi offendunt Deum, quàm qui ſeſe ſuſtentant in ſudore vultus ſui. Vis acquirere vitam ęternam? ſis amicus earum rerum quæ hic multum valent. Mercator merces vili comparat, & carè vendit. Deſideras ire ad cœlum, illuc tende: ibi non deſunt honores & diuitiæ complures.

Illuc tecum fer merces haſce exquiſitas, & reportabis precium excellentiſſimum. Contemptus, perſecutiones, lachrymæ, ieiunia, pœnitentiæ ibi non reperiuntur, hæc omnia in cœlo tibi perſoluentur adeò copiosè, vt meritò dixeris, te

ris, te esse diuitem & honoratum: si hic accumulaueris honores, illic eos non inuenies. Fuge igitur honores hosce mundanos, & eris honoratus in cœlo.

CAPVT XXVIII.

De vanitate prosperitatis mundanæ.

Prou.1. PRosperitas stultorũ perdet illos, dicit Sapiens. Multum debes timere in prosperitate mundi præsentis, si
1.Reg.10. vis conseruare humilitatem cordis, & seruire Christo. Saul fuit homo sanctus, quo nec melior in Israel, qui cùm se videret in tanto honore, factus est superbus.

Dauid dum tribularetur pepercit vitę
1.Reg.24. hostis sui Saulis: in prosperitate verò occidit fidelem seruum Vriam. Is qui in persecutione dabat vitã mortuis, in prosperitate occidebat viuos. Rarum est cerebrum in prosperitate. In prosperitate tantum periculi subest, quantum negligentiæ: illa verò vita admodum est periculosa, quæ per magnam negligentiam custodiri videtur. Multi ex bonis facti sunt superbi & dissoluti, postquam euecti fuerunt ad honores. In montibus Gel
2.Reg.1. boe mortui sunt nobiles Israel: Sic & in ho-

honoribus & prosperitatibus huius sæculi multi amittunt vitam: prosperitatem sequitur Dei obliuio. Rogabat Ioseph pincernam Pharaonis, vt sui recordaretur, vbi postea bene cum eo ageretur; dicit tamen scriptura, quod idem liberatus è carcere & restitutus primo suo muneri, oblitus fuerit benefactoris sui Ioseph. Pharao Rex Ægypti in prosperitate dicebat, se non liberaturum populũ Israhel, nec se cognoscere Deum: in aduersitate verò Deum cognoscebat, & rogabat Mosen & Aaron vt orarent DEVM pro se. *Gen. 40.*

S. Petrus, cùm se videret in monte Thabor, cupiebat fieri tria tabernacula, vnum Christo, alterum Mosi, tertium Heliæ, oblitus reliquorum sociorum suorum: nec mirum cùm in prosperitate homo obliuiscatur tam sui, quàm propriarum rerum. *Marc. 9.*

Multò periculosior est nauigatio in aquis suauibus, quàm salsis & amaris, vt intelligas maius esse periculum in prosperitate, quàm in persecutione.

Quantò prosperitas vicinior, tanto periculosior, quæ si coniungatur carni facilè oppugnat animã: prosperitatem existima ad tempus cõmodatam, & quę facilè

cilè eripi poſſit, tribulationem momentaneam exiſtima, vt eam æquiori animo feras. Fuge proſperitatem & vanos honores huius mundi, Si in altero viuere velis cum Ieſu Chriſto, præſtat eſſe tribulatũ cum Chriſto, quàm viuere in proſperitate mundana. Sperne igitur ex animo fœlicitatem ſæculi præſentis, & acquires gloriam cœleſtem & æternam.

CAPVT XXIX.

De bonis perſecutionis.

2.Tim.3. OMNES qui piè viuere volunt in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur: arbores malæ non ferentes fructum, non percutiuntur, neq; lapidantur; ſed tandem exſcinduntur, & in
Lucæ.13. ignem mittuntur, prout dicit Saluator de ficu arida: contrarium vſu venit bonis arboribus. Dominus aſſimilauit homines arboribus, inter quos mali patiuntur perſecutiones, quemadmodũ boni; ſed morte ingruente illi in æternum ardebunt in inferno. Si perſecutionem pateris, ne ægrè feras; ſed age gratias Deo, quia iam es ex electis eius. Chriſtus perſecutiones paſſus eſt, & omnes amici eius perſecutiones paſſi ſunt; ſi perſecutio-

tionibus cares, time ne mala omnia simul tibi ingruant in morte, quæ radicitus te extirpent; ne credas te magis gratum esse Deo, quia non pateris persecutiones. Christus Iudæ dedit panem tinctum in sanguine agni, cùm alij comederent panem siccum & azimum; non tamen eò sanctior & perfectior fuit Iudas: nec te putes eò meliorem, si comedas panem cum varijs obsonijs; immò meliores sunt pauperes comedentes panem siccum. Liberalius Deus agit in hoc mundo cum peccatoribus. Nonne Iudæ credidit crumenam pecuniarum? Apostolis verò onus prædicationis commisit. Iudæ dulcis bolus datus est: Apostolis verò amarus; sed præstat esse pauperem cum Apostolis, quàm diuitem cum Iuda: melius est comedere panem azimum pœnitentiæ in tristitia & timore cum Christo & discipulis, quàm viuere in delicijs cum peccatoribus. Magno sis animo in persecutione, & audi Dominum dicentem: Si me persecuti sunt, & vos persequentur. ne credas, quod cùm sanctissima eius mater gloriam multis tribulationibus comparauerit, te eam obtenturum per delitias: magna est persecutio non pati persecutionem: medicus Ioan. 15.

ægroto deſperato omnia ad libitum concedit, vt intelligas malè tecum agi, ſi omnia tibi conceduntur ad votum. Fœlix ille, qui de manu Dei patienter accipit tribulationes. Beati qui perſecutiones patiuntur, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum; ſicut patienter fers tibi aperiri venam & ſimilia ad acquirendam corporis ſanitatem, cur non ſuſtines perſecutionem ad ſalutem animæ? ne reſpicias ad dolorem præſentem, ſed ad ſalutem ſequentem: ne reſpicias ad paſſionem præſentem, ſed ad futurum præmium. Is, qui tranſit aliquem ſinum profundum maris, ne patiatur capitis vertiginem, flectit oculos verſus terram: ne reſpicias ad turbidam perſecutionis aquam, ſed reſpicias ad terram viuentium quiſquis nunc nauigas per mare tempeſtuoſum huius mundi. S. Stephanus in perſecutione erigebat oculos in cœlum, vnde expectabat præmiũ ſuum. per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum cœlorum. perſecutio eſt moneta, qua Deus remunerat ſuos in hoc mũdo. multi tanquam pueri malunt manere infirmi, quàm ſuſtinere medicinam aliquam amaram, vel cauterium admittere. Gloria verò Chriſtiani ſita eſt in per

Matt. 5.

ſecu-

ſecutionum moleſtia ſuſtinenda propter Chriſtum. S. Paulus quamuis raptus fuerit in tertium cœlum, & pręclaris à Deo dotatus fuiſſet gratijs, non gloriabatur niſi in infirmitatibus ſuis. Miles magis gloriatur rebus ſuis in bello geſtis, & in vulneribus, quàm in gratijs, quas à Domino accepit: ita & Chriſtianus magis gloriari debet in tribulationibus, quàm in gratijs à Deo acceptis. gloria tua ſit in cruce Domini Dei tui, modo ſincere patiaris pro eo; quia ſi fueris ſocius perſecutionum, eris & conſolationum. 2. Cor. 12.

CAPVT XXX.

De vanitate fauorum mundanorum.

EXaltauit Rex Aſſuerus Amã, & poſuit ſolium eius ſuper omnes principes, quos habebat: Sed quid ipſi profuit gratia Aſſueri Regis, niſi ad ſuam perditionem, & ruinam? Fauores hominum ratione tuæ malæ inclinationis, etſi diuinitus dentur, plus tibi nocent, quàm proſunt. Laudauit Chriſtus Petrũ dicens eſſe beatum, eò quod Pater cœleſtis ei reuelaſſet id, quod dixerat: Quo fauore ita excæcatus fuit, vt parum abeſſet, quin vellet impedire paſſionem Heſt. 3.

Domini. vnde reprehenſus fuit. Si igitur fauor Dei ipſius nocet, quanto magis fa-
Gen. 39. uor hominum. Fauor, quem Ioſeph acceperat à domina ſua, ad meram ipſius ruinam ſpectabat. Vinum purum turbat caput, quare oportet fauores mundanos temperari aqua murmurantiũ, ne prorſus ſuperbiamus ob fauores Principum & honorum mundanorum: ſi quando adulationis verbum nos exaltat, opus eſt, vt lingua murmurantium nos humiliet: reprehenſio & odium tui, perdu-
1. Mach. 2. cet te ad cognitionem tuijpſius. Antiochus ingreſſus templum, abſcondit candelabra: ſic etiam beneuolentia penetrãs animam noſtram tollit cognitionem noſtrijpſorum. Qui exoſus eſt, nouit ſeipſum, quamuis à nemine cognoſcatur: melior eſt cognitio noſtri, quàm aliorum: plus nocet fauor & amor, quàm odium. perſecutiones proſunt, quia humiliant hominem, & ducunt ad cognitionem ſuijpſius: ſed amor excæcat, & facit vt teipſum non agnoſcas. In perſecutione inuenies Deum, in fauore verò eum amittes. non exiſtimes te meliorem eſſe, ſi faueant tibi homines: & memineris Euangelici illius dicti: recordare, quia
Luca 16. recepiſti bona in vita tua, Lazarus ſimi-

liter mala; nunc ille consolatur, tu verò cruciaris. Si in hac vita recipis honores, periculum incurrit tua saluatio; periculum est, ne excludaris à regno Dei. Sic solus Isaac hæres fuit excluso Ismaele, quē contentum esse oportuit muneribus, alijsque donis & gratijs; tu quoque vide, ne excæcatus fauoribus huius mundi, priueris hæreditate cœlesti. Qui cum offensa Dei fruuntur hoc mundo, & hic exaltantur, tandem excluduntur ab hæreditate cœlesti, quæ reseruatur solis bonis: qui spernunt fauores mundi, fient hęredes regni cœlestis. Ne turberis, si mali prosperentur in hoc mundo, quia non expectant partem in cęlo. Tu igitur spreto fauore mundano, tanquam seruus Iesu Christi, expecta cum patientia diem gloriosum, in quo frueris bonis æternis. *Gen. 25.*

CAPVT XXXI.

De vtilitate tribulationum

PER multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, dicit scriptura. Et dicit Psalm. in persona Dei, cum ipso sum in tribulatione. Legatus fidelis est tribulatio, & qui iniuriam facit legato Regis, facit iniuriam regi: sic *Actor. 15.* *Psalm. 90.*

etiam offendit Deum, quiſquis de tribulatione lamentatur, & caſtigabitur à Deo ſicut Amon caſtigatus fuit à Dauide, quia inhonorauit nuncios, quos ei miſerat. Quod palea grano, lima ferro, ignis auro, hoc tribulatio homini iuſto. Benignè fac in bona voluntate tua Syon, vt ædificentur muri Hieruſalem, inquit Propheta. S. Petrus dicit, nos eſſe petras viuas; non potes altum facere ædificium ſine fundamento, & niſi exerceearis & tundaris ſicut ſaxum, nihil boni facies. Perſecutores ſunt latomi: Qui verò fugit perſecutiones, non vult habitare in Hieruſalem. melior fuit Dauid Salomone, cùm certum ſit patrem ſaluatum fuiſſe, filij verò ſalus in dubium vertitur. Tota vita Dauidis fuit plena tribulationibus & lachrymis. Salomon verò per contrarium ſemper vixit in proſperitate & pace. Tribulatio ſaluauit Dauidem: proſperitas verò Salomonis ſalutem dubiam reddit. Tribulatio prodeſt animæ: proſperitas verò ſpiritũ bonũ extinguit, tribulatio illuminat intellectũ. Cùm Ioſeph fratres ſuos honoraret, non fuit agnitus, ſed cùm eos tribularet cognitus eſt: Propterea Deus tibi dat tribulationes, vt Deum agnoſcas, quia eum non

2. Reg. 10. *Pſalm. 50.* *1. Pet. 2.* *Gen. 40.*

non agnoſcis, cùm de te bene meretur. Quia ſecurè dormis, tanquam oblitus Dei, propterea priuat te maieſtas ſua ſanctiſſima delitijs, quibus tanquam brutum pecus inuolueris, vt vigiles, & Deum tuum agnoſcas. Ne doleas, cũ Deus te priuat conſolatione mundana, quia id facit ad vtilitatem tuã. Saul poſtquam ei ereptum eſſet vas aquæ à Dauide, agnouit peccatum ſuum; crede & te quoq; recuperaturum oculorum tuorum lumen, ſicut alter Thobias felle piſcis recepit lumen oculorum ſuorum. Si quando alicui in tauri venatu accidat, vt eo loco tanquam ſecurus obambulet, poſtquam tamen animaduertit periculum, quantum poteſt diligenter cauet, ne incidat in cornua tauri. Sic & Deus mittit tibi tribulationes, vt ad eũ pro tuo refugio confugias, Dicit Pſal. multiplicatæ ſunt infirmitates eorũ, poſtea accelerauerunt. *Pſalm. 15.*
Sicut fœlicitates auertunt hominem à Deo: ſic tribulatio hominem ad Deũ trahit. In tribulatione Deũ inuocaui. Quantò aquæ diluuij magis creſcebant, tantò magis eleuabatur Arca Noe. Quantò peius tractabatur populus Iſrael in Ægypto, tantò magis creſcebat, & multiplicabatur. Sic aquæ tribulationum ele- *Pſalm. 110.* *Gen. 7.* *Exod. 1.*

uant ad Deum, & cum ijs & creſcit meritum, & augetur gratia. Placeant tibi tribulationes: quia aditum parant ad cœlum. Primum Dei opus in conuerſione
Actor. 9. S. Pauli fuit, quod cum deiecerit in terram, vt intelligamus, principium ſeruiendi Deo, conſiſtere in ſola tribulatione. Vt in horreo miſcentur paleæ grano, ita in hoc mundo miſcentur mali bonis. Sed vento tribulationis flante, mali deijciuntur in terram præ indignatione, boni verò Chriſto, ſibique mutuo vniuntur; id quod nocet peccatoribus, prodeſt iuſtis. Pix quantumuis nigra, ſi tundatur, fit alba, ſic ſi bonus per proſperitates adhæſerit aliquid mali, id abijciunt, cùm premuntur aduerſitatibus: Caſtigatio Dei in hac vita, eſt caſtigatio paterna; quia Deus ſemper caſtigat cum miſericordia. Sed alterius vitæ caſtigatio fiet in indignatione & furore ſine aliqua miſericordia, iuxta illud propheticum; Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Tu itaque potius elige tribulari in hoc mundo, vt ita per exiguas tribulationes, poſſis acquirere regnum Dei.

CA-

CAPVT XXXII.

De vana sollicitudine mundanorum.

NE solliciti sitis animæ vestrę, quid manducetis, neq; corpori vestro quid induamini, dicit Dominus; quia talis sollicitudo impedit contemplationem rerum æternarum. fecit Deus hominem, vt intelligeret summũ bonum, intelligendo amaret, & amando frueretur, ab hac fruitione separat sollicita cura rerum temporalium. si populus Israeliticus sollicitus fuisset de cibo & potu & vestitu in deserto, nunquam ingressus fuisset terram promissionis. Si vis ingredi terram promissionis, circũcide rerum fluxarum curas superfluas. multi Hebræorum postquã diuino fauore essent priuati, & afficerentur ad comedendum carnes, easq; conseruarent, mortui sunt in deserto, nec ingredi potuerunt terram fertilem sibi promissam. ne studeas acquirendis bonis temporalibus, & acquires æterna: ne effrenatè affectes res has visibiles, nisi velis amittere bona inuisibilia. Multis nimium sollicitis circa propria, non tamen circa ea, quæ Dei sunt dicit Dominus: quia domus mea deserta

Matt. 6. *Num. 11.* *Agg. 1.*

est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam, propter hoc super vos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum. Iustum est, vt egeant ij qui postponūt creatorem negocijs huius mundi. Æquiparat Dominus vitam iustorū auibus. cùm propter exiguam illarum quietem & stabilitatē quam habent in terra, tum quia ordinariè viuūt in locis altioribus: vnde factum est, quod cùm Christus reprehenderet sollicitam curam mundanorum, conuicerit eos à vita auium, dicēs: Respicite volatilia cœli, quæ non serunt, nec metunt, nec congregant in horrea, Dominus tamen pascit ea. Confundere igitur, quod ita abutaris desiderijs tuis, adhęrēdo fœtidis mundi stercoribus, cùm possis recreari odoriferis rosis cęlestibus. O prodigiosam crudelitatem, quod defatigari cupias in peragrando mundum, cùm possis firmo pede inuenire cœlum. Saltem hoc non faceres in gratiam cœlestis patris tui. Diligentia etenim & sollicitudo filij est tacita reprehēsio negligentiæ paternæ: quod si de rebus necessarijs non est filio prouisum, consequitur patrem fuisse negligentem. ne itaque tam sollicitus sis acquirendis bonis tempora-

Matth. 6.

libus, nisi iniuriam facere velis patri cœlesti, qui plusquam liberaliter prouidet filijs ea, quæ ipsis necessaria sunt. Non firmatur auis in terra citra necessitatem, sed pro maiori tēporis parte versatur in aëre: sic & si velis euitare periculum huius vitæ, fugias negocia terrena. Oportet te vel volare, vel natare, non autem versari in terra, si vis effugere tuam perditionem. Cùm Deus crearet aues & pisces, dedit eis suam benedictionem, animalibus verò reptilibus non benedixit: qui igitur appetit illam benedictionē, quam Deus impertijt bonis, oportet eum volare, aut natare, vt effugiat omnem transitum periculosum; ijs verò, qui instar brutorum nimis inordinatè afficiuntur rebus terrenis, non dabit Deus suam benedictionem, sed maledictionem, de qua Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est dæmoni & angelis eius. Viue igitur instar auis in sublimitate orationis, & contemplationis, & iacta cogitatum tuum in DEVM, iuxta illud Apost. S Petri: omnem vestram sollicitudinem proijcientes in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis, & quemadmodū dicit Psalmista: Pauper sum, & mēdicus, & Dominus sollicitus est mei.

Gen. 1.

Matt. 25.

Si itaque Deus gerit curam tui, quid opus est te esse tam anxium, cùm huiusmodi anxietas ad aliud non conducat, quàm vt extinguat in corde tuo verbum Dei. Sollicitudo diuitiarũ extinguit verbũ Dei. Gentiles verò & Æthnici cũ credunt hæc dari à fortuna, non mirum, si ita sint solliciti. Tu verò, qui admittis diuinam prouidentiam, non debes adeò esse sollicitus, cùm non ignores, si modò facias quod debes, Deum prouisurum vitæ tuæ. Si Deus conseruat aues, quas creauit propter hominem, multò magis hominẽ, quem propter se creauit. Amoue abs te omnem inutilem occupationem, vt cor tuum queas eleuare ad Deũ. Natura & sensualitas, cùm sint potentes, quærunt seipsas in vanitatibus & delectationibus mundi, interim intellectus offuscatur, & spiritus euadit insensibilis, omneq́; spirituale exercitium facit sine gustu, superuacanea verò occupatio impedit orationem interiorem, & recollectionem, & obcæcat lumen intellectus, abegitq́; lucem veri luminis. Si itaq; vis te dare Deo, separa te ab omni sollicitudine & externa distractione.

CAPVT XXXIII.

De vana & stulta sapientia mundi

QVod stultum est Dei, sapiẽtius est hominibus, dicit Apost. mundus æstimat illum esse sapientem, qui dissimulatis vitijs nouit acquirere honores & dignitates: æstimat verò stultos illos, qui spernũt huiusmodi vanitates. dicit in persona mundanorũ; vitam illorũ æstimabamus insaniam, & finem illorũ sine honore, quia nimirum non dabant operam acquirẽdis diuitijs: habebamus eos pro mortuis, deridebãturq; à nobis, quasi carerent omni cerebro, cùm tamen essent tanquam lampades accensæ, mundus verò iste tantùm est ventus, qui sufflat & extinguit: boni verò abscondunt sese, vt maneant securi, nec student ostentare sanctitatem suam nisi Deo, qui non respicit exteriora, sed interiora: Sapientia verò Dei opponitur prorsus mundanæ, boni nihili fiunt apud mundum, sed magni fiunt apud Deum. Diuersa sunt iudicia Dei à iudicijs hominum. Mundus etenim respiciens ad ea, quæ foris apparẽt, iudicat beatum eum, qui potens est &

1. Cor. 1.

1. Reg. 16. diues. Samuel vncturus regem vnum ex filijs Isai, præterito eo, quem pater magnificabat, vnxit Dauid, præter opinionem hominum: sic quos mundus habet pro sapientibus, apud Deum habentur pro ignaris. Qui spernebatur à mundo, à Deo eligebatur in regem. Qui litigat coram literato & iusto, non curat, si antea condemnatus fuerit à iudice ignorante, quia spem ponit in sententia iudicis docti. Sapientes huius mundi æstimabant veluti stultitiam paupertatem Euangelicam, mendicitatem, & martyriũ: sed lõgè aliud est de hac re iudicium Dei. Actor. 26. S. Paulus cùm ei diceretur, quod multæ literæ eum facerent insanum, respondit se non insanire, sed veritatis & sobrietatis verba loqui: sic non est nouum, vt mundus iudicet esse stultitiam quicquid non intelligit, aut non est expertus. Sed veniet mors, quando serui Christi appellabunt ad Deum iudicem, qui valdè benè ponderat causam: ille tunc iudicium mundi tanquam iniustum condemnabit sententia sua æquissima, eaq; irreuocabili, qua reprobabit id, quod mundus approbat. Si igitur in hoc mundo haberis stultus, contigit & hoc Christo coram Herode, ne cures vana hominum iudi-

iudicia breui reprobanda, & tũc demum vera virtus illucescet.

CAPVT XXXIV.

De sapientia Christi.

SI quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens, dicit Apost. vera est sapientia esse stultum propter Christum. Sapiẽtia Dei, quæ consistit in vera mortificatione & abnegatiõe suijpsius, reputatur apud homines stultitia. Dicit Sapiẽs: stultissimus sum virorum, & sapientia hominum nõ est mecum. Filij huius sęculi sapientiores sunt filijs lucis: quare dicit Sapiens, quod sapientia hominum non esset secum, sed sapientia Dei, quam mũdus reputat stultitiam, quia excedit ipsorum intellectum. Ordinat dux militiæ aliquod strategematis genus insolitum, quod ipsum ignorãtissimus quisq; reputat stultum: ita verò nobis non illuxit sol iustitiæ, quia debiles oculi intellectuales non capiunt lumen sapientiæ diuinæ. Moyses, quamuis esset in Aegypto valdè sapiens, & disertus coram Deo, tamen habebatur pro ignorante, eò, quod imbutus esset sapientia huius mundi. Sapien-

1. Cor. 3.

Prou. 3.

Exod. 3.

tissimus erat Salomon, sed comparatione sapientiæ Dei, fatebatur se hominum esse stultissimum. Magnæ sapientiæ est contemnere mundum propter Deum. In vera cognitione suijpsius consistit altitudo sapientiæ Christi. Huius sublimis sapientiæ comparatione, omnis scientia est ignorantia. Et si perfectam omnium artium liberalium cognitionem haberes, quid hoc prodest, si teipsum ignoras? Vagaris foris, & putas te multa scire. Fœlix illa anima, quæ Dei sapientiæ plena est: Fœlix ille, qui coram Deo studet esse sapiens. Pluris est vna guttula sapientiæ diuinæ, quàm vastissimum quoduis pelagus sapientiæ huius mundi: vera est sapientia, perfecta suijpsius mortificatio. Quantò plura scis, tantò te magis ignorantem præstes, & mortuum mundo.
Gen. 32. Iacob postquam luctatus fuisset cum Angelo, factus est claudus, & vocatus fuit Israël, id est, videns Deum. Qui videt Deum, statim fit claudus mundo: si gustaueris Deum, odio habebis mundum. Iusti videntes Deum, sicut Iacob, quia nouerunt Deum, sunt claudi, quod attinet ad res terrenas: apud mundum sunt stulti, quia sapientes sunt apud Deum. Sicut facies lunæ intenta in solem
plena

plena eſt, altera verò facies reſpiciens terram, eſt vacua, ſic decet partem animæ tuæ inferiorem eſſe vacuam, ſuperiorem verò plenam ſapientiæ Dei. dicit Eccleſiaſticus: Stultus mutatur vt luna, quia luce diuina relicta, conuertitur ad res inferiores terræ. Hinc fit, quod ſapientia huius mundi confundatur à diuina ſapientia. Serpens Moyſi deuorauit ſerpentes Magorum Pharaonis: Sic & ſapientia Dei deuorat & conſumit omnem ſapientiam humanam. Promiſit Deus in lege veteri diuitias, & ea, quæ naturaliter deſiderant homines, & tamen pauci vertebantur ad Iudaiſmum, & verum cultum diuinum: Sed Chriſtus redemptor noſter, dum promittit perſecutiones & tribulationes, quantumuis moleſtas & acerbas, conuertit totum mundum. Sapientia Dei tam potens eſt, vt per res debiles vicerit res fortes, & per illiteratos confuſi fuerunt huius mundi ſapientes. Qui cùm dicerent ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, inquit Apoſtolus. Quid mirum, cùm ſapientiæ Dei omnia ſubijciantur? Hanc ſapientiam dæmon tibi adimere molitur; ſicut Amon Iſraëlitis eruebat oculos dexteros, quæ eſt cognitio rerum cœleſtium, oculi ſapientis in

Eccleſ. 27. *Exod. 5.* *Rom. 1.* *1. Reg. 11.*

in capite eius, qui est Christus. Sapiens nihil aliud quærit, quàm Christum, & eum contemplatur, iuxta illud Aposto-
1. Cor. 1. li: non arbitror me aliquid scire, nisi Iesum Christum, eumq; crucifixum. Totum itaque exercitium tuum versetur circa passionem Christi, vt inde cognoscens eum in terra, clarè postea possis videre in cœlo.

CAPVT XXXV.

De vanitate & breuitate vitæ hominis.

Iob 14. BReues dies hominis sunt, dicit sanctus Iob: transeunt instar florum, anniq; eius similes sunt rori pratorum, qui breui tempore consumitur. Est
Iacob. 4. vita sua instar vaporis, qui apparet, & in momento euanescit: ascendit per aërem nubes, sed radio solis facilè resoluitur. hæc vita quantumuis grata mundanis, videtur aliquantulum eleuari supra terram, cùm statu suo oculos hominum rapiat in admirationem, sed perquàm ridiculè, cùm vel ad minimam quamuis infirmitatem homo statim resoluatur in terram & cinerem, qui tamen videbatur paulò ante præ omnibus alijs dominari.

nari. Quid est tempus vitæ nostræ, nisi breue quoddam instans, quod currit instar venti? Cursor transiens, & peregrinus nunquam reuertens. In momento etenim transeunt regna mundi. Vanitati subiecta est omnis creatura mundi: Numera omnes dies, horas, menses & annos vitæ tuæ, vbi sunt? Transeunt velut vmbræ solis, & texturæ araneæ, quæ ad minimum venti flatum dissipantur. nihil est stabile super terram, in qua formatur Adam, & filij eius. Nihil breuius vita, quæ secum adfert mortem. Est breuis & miserabilis, quam boni æquanimiter ferunt, mali verò amãt, quamuis exiguo admodum tempore ea potiuntur, Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur, dicit scriptura; nec est flumen, quod velocius currat, quàm vita hominis, &c. nec aquæ retro currunt, ita nec dies, tempus præteritum est irrecuperabile. Sicut alter Tobias, sedens in littore Tigridis fluminis, considera valdè bene, quàm velociter transeant dies. Illud flumen eo nomine vocatur propter velocitatem cursus aquarum, quæ non potest æquiparari velocitati annorum tuorum, post quos statim trahendus es ad mortẽ.

Iob.9. *Rom.8.* *Psalm. 39.* *2. Reg. 14.* *Tob. 6.*

In

In hac consideratione lauabis pedes affectuum animæ tuæ: in hisce contemplationibus expurgabis te luto amoris terreni, quod tibi attraxisti, cùm versareris in hoc mundo. Somnium & dolus
Psalm. 115. est vita hominis, dicit Psalmista. Ego dixi in spiritu meo, omnis homo mendax, vita hominis est mẽdacium. In imagine transit homo: Imago est figura veritatis. Hæc vita non est vera vita, sed vitæ figura & mortis vmbra. Non est quæ videtur, sed vmbra veritatis, est quædam apparens vita, quæ à suo cursu non potest cohiberi. sicut vita currit versus finem suum, sic vnà cum vita transeunt diuitiæ, honores, & voluptates huius mũ
Esd. 3. di. Peccatum antequam consummatur citò perit eius delectatio, tormenta verò ipsius nunquam finientur. Delectatio præsens est breuis, tormentum verò consequens est æternum. Quid quæso stabile reperitur in hoc mundo? sunt ne diuitiæ fortè stabiles? forténe gloria mun-
Iob 9. di? audi sanctum Iob: Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt, & viderunt bonum, transierunt naues poma portantes, sicut Aquila volans ad escam, sicut cursores quàm citissimè currunt, etiam vita nostra in momento transit:
transit

transit iuuentus, & cum ea pulchritudo; transit flos huius vitæ, & omnia quàm citissimè terminantur.

CAPVT XXXVI.

Cur Deus voluerit vitam nostram esse breuem.

HOmo nascitur ad laborem, dicit S. Iob. Flentes nascimur, in labore viuimus, & cum dolore morimur. Dictum fuit Adæ quod in sudore vultus sui comesturus esset panem suum. Iam cùm vita hominis sit continuus quidam labor super terram, voluit Deus ex sua benignitate abbreuiari vitam nostram, vt omnis labor tanto redderetur leuior. Non vult diuina clementia, vt multo tempore labores, nec consentit, vt diu durent labores nostri. Voluit exilium vitæ tuæ esse breue. Et cùm nos creauerit ad fruendum eo, cumque gloria nostra sit in cœlo, cupit nos Deus citò secum esse, quia nos amat. Ad vtilitatem nostram voluit Deus vitam nostram esse breuem, vt contempta vita præsenti, disceremus amare æternam illam & fœlicem viam, dicit Iob Deo: Par-

Iob 5.

Gene. 3.

Iob. 7.

quæ

ce mihi Domine, nihil enim ſunt dies mei. Et quia videbatur Iob dies ſuos eſſe breues, decreuit à Deo petere veniam, & facere pœnitentiam. Multi viuunt quaſi non eſſent morituri, occupati in vanitatibus rerum huius vitæ, cùm tamẽ ad hoc ipſis commodata fuerit, ad comparandũ nimirum cœleſtem illam vitam & glorioſam. Magna caſtigatione dignus eſt qui aliud ſpectat, quàm vt acquirat illam in æternum durabilem vitam. Si cõſideres breuitatẽ huius vitę, & oculos defigas in illam æternã & durabilem, facilè contemnes præſentem. Cùm Deus videret quod malitia hominum valdè exceſceret, & quod multi longioris vitæ prætextu grauius peccarent, decreuit illam abbreuiare, ne inaniter ſperarent in longitudine huius vitæ. Sic quia abutimur tempore nobis conceſſo ad agendam pœnitentiam, eam abbreuiauit Deus, ne multiplicaremus peccata. Cùm homines viuerent in maiori ſimplicitate in principio mundi, dedit ipſis longam vitã; ſed poſtquam videret creſcere malitiã & temporis abuſum, decreuit eorum vitã abbreuiare. Dicit Pſalmiſta alloquens Deũ: Poſuiſti iniquitates noſtras in cõſpectu tuo, ſæculum noſtrum in illuminatione vul-

Pſalm. 89.

tus tui. Quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus: anni nostri sicut arenea meditabuntur, dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni: Propter peccata nostra dicit Propheta abbreuiauit Deus vitam nostram. Breuitatem vitæ nostræ explicat hic Propheta cõparatione deducta ab araneis tenuissima fila texentib⁹, quæ aufert & per rumpit minimus quisq; ventus: sic vitã quã tanto labore pertreximus. destruet vna febris aut exiguus quispiã infirmitatis ventus. Ne inordinatè ames vitã hanc momentaneam & transitoriam. Non est hæc vita cœlestis, sed terrena; nõ est hæc patria nostra, sed exilium. hæc vita finem habet: sed illa patria, quã Deus inhabitat cũ suis electis, nunq̃ habebit finem. Vanus est ille qui incedens cum tanto labore & sudore in hac vita præsenti, non aspirat ad vitam illam cœlestẽ, vbi quiescat semper cum Christo. Quis seruus non aspiret ad patriam suam? Quis latens in obscuro carcere nõ desideret videre lucem; Hic verò mundus non est terra nostra, carcer Babylonicus. Si desideras longam vitam, desideras longum carcerem. Si desideras senectutem, desideras longam infirmitatem. Vbi non est vita, debes

bes aſpirare ad mortem. Seruit mors in ſolatium laborum vitæ, qui non finiuntur niſi poſt mortem.

Cui iter faciendum eſt, melius eſt, vt citò eat quàm tardè. Fœlix ille qui habet vitam in patientia, mortem verò in deſiderio. Fœlix illa anima cui Deus maturè voluit dare quietem in vita æterna. Deus bonus in omnibus ſuis vt bene de te mereretur, vult abbreuiare vitam tuam, vt eum amando ęternam illam conſequaris.

CAPVT XXXVII.

De periculis vitæ hominis.

Psal. 120. DIes eius tanquam flos agri ſic efflorebit, dicit Propheta, loquens de vita hominis. Ingentibus periculis exponitur flos agri: ſol illum exiccat, ventus adurit, homo conculcat, animal depaſcit, aqua ſuffocat, & calor conſumit. Quis fando explicare queat pericula, quibus homo expoſitus eſt? Exiguus quiſpiam dolor eum interimit, vna infirmitas conſumit, ſuffocat eum mare, multiſque moleſtijs inuoluitur, quæ ipſi præter expectationem oboriuntur,

tur, dum putat omnia esse secura. dicit Iob: Transierunt dies mei sicut naues *Iob 9.* poma portantes, & velociores fuerunt cursore, & non viderunt bonum. Nec immeritò dicit eos cursore velocius currere. Nam quamuis multum currat cursor, interdum tamen debet quiescere, vt corpus suum reficiat: Sed dies hominis semper eunt, & sine intermissione currunt versus mortem. Cùm dormis & vigilas, toto tempore vitæ tuæ, omnibus horis & momentis, velocissimè curris ad mortem.

Assimilat etiam Iob vitam naui; nauis enim non ad quiescendum facta est, sed ad nauigandum versus portum: Sic nec tu creatus es, vt insistas delitijs, sed vt operando & laborando peruenires ad portum salutis tuæ. Currit nauis velocissimè, nec relinquit vestigium, aut signum sui: sic vita nostra transit velociter, vt nec relinquatur vllà nostri memoria. Quò euanuerunt tot Reges & Principes, qui vixerunt in mundo? Transierunt velociter, nec reliquerunt vel vestigium, aut signum sui. Ingentia sunt pericula; quibus exponitur nauis in mari nauigans. Collisione enim vehementiori fluctuum subinde apetitur, aut are-

næ affigitur; à tempeſtate ſuffocatur, aut diſſoluitur: aut à piratis comburitur. Si conſideras pericula in quibus viuis, inuenies multa infirmitatum genera, quibus expoſitus es.

Nautæ ſubinde in proſperitate explicant in altum vela & vexilla, & hilariter auſpicantur ſuam nauigationem; ſed poſtquam impegerunt in ſcopulum, mutatur lætitia in triſtitiam: Sic in natiuitate hominis feſtum celebrant amici & parentes, ſed non ſine vanitate, cùm oborto miſero aliquo caſu, ſtatim quis moritur, & omnia vertũtur in planctum & dolorem. Manè (inquit Dauid) floreat, veſperi decidat & areſcat. Sicut naues, inquit Iob, poma portantes, non plumbum aut res alias graues; ſic etiam vani ſunt dies hominis, relinquentes tantum odorem aliquem exiſtimationis tãquam pomorum, qui odor ſtatim euaneſcit.

Pſalm. 59.

Nec quiſquam quantumuis magnus, poteſt euitare hæc vitæ humanæ pericula. Imò, quò quis conſtitutus eſt in altiori ſtatu, eò vitam laborioſiorem & miſeriorem degit.

Corda Principum (alioqui ſpinis plena) pretioſis fimbrijs ac veſtibus cooper-

ta ſunt. Curarum plena eſt vita eorum, & dormiunt cum timore potẽtes huius ſæculi,& quamuis dormiant in delicatis & mollibus lectis,nullum ferè habẽt guſtum in commoditatibus.Propter nimium earum frequentem vſum patiuntur infœlicitates & ægritudines plures longè quàm alij homines, quia nimium aſſueuerunt ſeſe delitijs & voluptatibus, ac diſſolutionibus quibuſcunq; : priuati verò homines pauciores ſentiunt tribulationes,& fruuntur maioribus conſolationibus,quia enutriti ſunt in laboribus. Non euadunt magni pericula huius vitæ, imò plura ſubeunt quàm alij.Omnibus verò voluit Deus hãc vitam eſſe pœnalem & periculoſam,quia omnes creauit ad æternam gloriam.

CAPVT XXXVIII.

De vanitate eorum, qui prolongant pœnitentiam.

NOn tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem:Subitò enim veniet ira illius,& in tempore vindictæ diſperdet te,dicebat Eccleſiaſticus Subitò debes facere pœnitentiam, quia *Eccleſ.5.*

no habes certam horam vitæ: Dicit Do-
Ezech. 18. minus: Non volo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat.

Cur differs pœnitentiam in tempus, quod fortè non videbis? Qui habet pignora, vel magnam hæreditatem parum curat, si expendat res aliquas mobiles: Sed qui plus debet, quàm lucretur indies, & de eo debet reddere rationem suo superiori, cur audet facere plures sumptus? Ne vnum quidem diem habes securũ, & expectas annum integrum ad faciendum pœnitentiam? Adeò parcus es temporis, vt nec vnam horam certam habeas, & tibijpsi nihilominus ita liberaliter multos vitæ promittis annos? Ne quæso profundas inutiliter tempus tibi concessum. Ne tam multa tibi promittas, quia pauper & miser es, & cras fortè abs te exigetur ratio stricta temporis expensi, quod tibi cõcessum fuit ad agendũ pœnitentiam. Viuis in periculo tanquã ouis in ore lupi; Quid remedij, nisi vt implores opem Pastoris tui Christi videlicet? Nisi breui deuorari velis à morte, ne promittas tibi longam vitam;

Eccl. 29. Repromissio nequissima multos perdidit, inquit Sapiens. An ignoras quod
Actor. 1. Pater posuerit tempora in sua potestate,

non

non in tua? Dicit Psalmista: Tempus faciendi Domine, dissipauerunt legem tuam. Nisi ratiõem habueris temporis, Deus abbreuiabit vitam tuã. Tẽpore Nohe concessit Deus centum & viginti annos hominibus ad faciendum pęnitentiam, sed quia malè tempus expendebant, abstulit ab illis viginti annos, & excitauit diluuium anno cẽtesimo. Si abusus fueris tempore, eo priuaberis, Sanitas corporis paulatim acquiritur, quia non est tanti momenti, vt necessarium sit tã citò curari; sed salus animę tanquam res adeò necessaria acquiritur in puncto. *Psalm. 118.*

De tempore tantum habes vnum pũctum quod sufficit, vt cõuertaris ad Deũ. Ne differas pœnitentiam in multos annos; cùm Deus te velit in puncto temporis cõuerti. Ne differas opus Dei, ne oboriatur impedimentum quo interrumpatur. Ne expectes in crastinum, quia fortè hodie abs te exigetur ratio. Sis diligens in bene operando, cùm adeò vicinus sis morti.

Hæc vita tibi ideò data fuit, vt per eã labores, & acquiras æternam vitam. Qui pollicetur tempore certo facturum aliquod opus, expedit sese ab omnibus alijs occupationibus, vt possit stare promissis.

Tempus vitæ præſentis vocat Saluator diem laboris, quia ingruente nocte mortis nemo poteſt operari, mereri, aut demereri. Hoc verò tempus accepiſti à Deo, quo merereris vitam æternam. Attende operi quod eſt præ manibus, à quo te auocari neutiquam patiaris. Si mundus te vocat, vt hoc opus omittas, & audis eum qui te inuitat ad diuitias & honores dic te non poſſe venire, quia neſcis quando tibi appropinquabit mors. Sis diligēs in laborando, quia iam appropinquat tempus, in quo examinabitur vita tua, & iuxta laborem recipies mercedem tuam. Falcones Noruegiæ ſunt valdè diligentes in venatione propter dierum breuitatem: ſic tu quoque cognoſce breuitatem dierum tuorum, quibus iuſtum fuerit, vt promerearis tibi regnum cœlorū gemitibus, lachrymis & orationibus.
Mirum eſt te eſſe tam negligentem, cùm alterum pedem habeas in ſepulchro. Si fueris negligens in quærendo ſalutem
Iud. 19. animæ tuæ, accidet tibi quod Leuitæ, qui cùm ad inſtantiam ſoceri pergeret ad ædes ſuas, nec illuc ea nocte perueniret, malè fuit exceptus. Sed ſtatim debes facere pœnitentiam, nec audias te retardātem, vel impedientem, ne fortè oppri-
mat

mat te obſcurum mortis, & cogaris intrare domum Inferni, præciſa omne ſpe ingrediendi propriam domum, cœli nimirũ. Surge itaq; maturè, & perge quantum potes in agendo pœnitẽtiam, ſi modò velis quieſcere in domo tua, ne quando nox te ex improuiſo opprimat.

CAPVT XXXIX.

Quomodo pœnitentia in hora mortis ſit inutilis.

ECCE nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. In omnibus exhibeamus nos Dei miniſtros in omni patientia, in tribulationibus, neceſſitatibus & anguſtijs: Hoc dicebat Apoſtolus Corinthijs. 2. Cor. 6.

Tempore quo ſanus es conuertere ad Deum, quia in diluuio aquarum multarum, vbi circundatus fueris doloribus ingentibus, contremiſces præ terrore mortis. Et profectò niſi cum multa difficultate appropinquabis vnquàm Deo, ſi tota vita tua te elongaueris ab eo. Dicit Deus: Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. Dies ſalutis eſt ſtatus vitæ præſentis, quem elabi non ſinas, nam cum eo, quantumuis breui,

ui, promereri poteris vitam æternam.

Omnia tempus habent, tempus ridendi, & tempus flendi. Tempus huius vitæ est tempus flendi & faciendi pœnitentiam, tempus verò mortis non est tempus acquirendi æternam salutem. Cur igitur differs contritionem adeò necessariam ad tuam salutem, quam difficulter impetrabis tẽpore mortis? quo licet quis multum lachrymetur, credendum tamen id facere eum potius timore inferni, qui non iustificat hominem.

Passiones ortæ ex melancholia fortius mouent pœnitentiam, q̃ quæ oriuntur ex causa delectabili. Si itaq; breuis quædã delectatio impedit rationis vsum, magis impediet iudicium ingens tristitia, & mortis horror, q̃ res rationem tibi ita offuscabunt, vt vix possis te conuertere ad Deũ, si in vita semper seruiuisti mundo.

Accedit quod intellectus tuus non potest eodem tempore speculari diuersa obiecta perfectè; imò in hora mortis dolores te adeò oppriment, vt difficulter admodum possis cor tuũ attollere ad Deum. Dicit Sapiens. Nõ est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatẽ in diem mortis. Habitus est qualitas difficulter mobilis. Peccatum iam ni-

mis

mis aſſuetum, te ex vna parte trahet, & graues tentationes tibi ſe opponent. Id quod aduerſarius noſter ſæpè amittit in via, id ſtatim lucratur in morte, quo nouit hominē irreperabiliter ſuccūbere. Adde quod tentationes in morte ſunt lōgè vehemētiores, quàm quæ fuerunt in vita. Si igitur paruis tentationibus in vita reſiſtere nequis, quomodo te defendes à maximis tempore mortis? Qua fiducia ſperas te victorem fore, quo tempore tu debilior es, hoſtes verò ſunt fortiores? Tempore ſanitatis non prȩliaris cum hoſte, & tēpore infirmitatis id audes? Cùm neſcias an cras victur⁹ ſis, hodie ſine mora fac pœnitentiam. Dicebat Rex Dauid Deo: Nō eſt in morte qui memor ſit tui. *Pſalm. 6.* Quis illius recordabitur? qui viuit nimirū, non qui moritur. Dicit Sapiēs: Recordare creatoris tui, tēpore iuuentutis tuæ, antequā priueris intellectu. Breuiter; in morte peccata relinquūt te, nō tu peccata. Mercator in mare diuitias coactus iactat, ceſſante verò tempeſtate eaſdem requirit. Sic plerunq; faciunt ij, quos pœnitet tempore mortis, qui reſtituti ſanitati redeunt ad vomitum. Nihil itaq; melius eſt quàm ſtatim facere pȩnitentiam, nec differre in craſtinum, quod ſemper eſt in

certum, quo tempore fiet, vt tardius requiras quàm non inuenias.

CAPVT XL.

De vana fiducia mundanorum.

Psalm. 45. NOlite confidere in Principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus; dicit Psalmista. In nulla creatura debes acquiescere, nisi velis errare, labi, ac decipi. In quo confidis ô homo mundane? Ne confidas in viribus *Sap. 6.* tuis, cùm tam fortes militiæ Duces fuerint in mundo, quorum nomina ignorantur. Dicit scriptura: Potentes potēter tormenta patientur; non est igitur quod te iactes.

Stultitiæ est cùm vita sit tam breuis, ædificare magna palatia, cùm maiores nostri contenti fuerint tugurijs. Dicit Ie-*Ier. 22.* remias: Væ qui ædificat domum suam in iniustitia.

Ne glorieris in equis bene instructis, nec in vanis huius mundi pompis, cùm *Amos 9.* dicat Deus: Væ qui opulenti estis in Siō, & confiditis in monte Samariæ: Optimates capita populorum ingredientes pompose domum Israël.

Ne

Ne glorieris in commessationibus & conuiuijs. Nondum attendis ad sententiam Dei, latam in Balthasarem regem Babyloniæ; & ad ea quæ alibi dicit Deus? Væ vobis qui cõsurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & oblectatis vos musica in domibus vestris, nec respicitis opera Dei. Hoc est signum: Cythara & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Dan. 5. Esa. 5.

Noli confidere in nobilitate, nec in pulchritudine corporali, cum scriptum sit; Fallax gratia & vana est pulchritudo. Pro. 31.

Noli confidere in scientia tua, cùm nemo doctior sit ipso dæmone, & tamen scientia sua non potest seipsum liberare de pœnis inferni.

Ne confidas in dexteritate aut agilitate corporali, nec in quibuscunque alijs gratijs, quia multa bruta animalia, quoad eas res, te excedunt. Azael qui currebat tanquam capra Siluatica occisus fuit, eò quod persequebatur Abner: multis causam præbuerunt mortis similes gratiæ. Miserum est apponere huiusmodi rebus cor suum, cùm omnes redundent in stultitiam. 2. Reg. 2.

Iudicare non audita altera parte temerarium est; si hæc iudicas esse bona, cur non ea quæ Dei sunt? Mundani proferũt sententiam in fauorem mũdi, valdè probantes mundi quisquilias, quia non gustarunt ea quæ sunt spiritus.

Iudicant mundum esse bonum, cùm non gustauerint illa quæ sunt Dei. Gustato verò spiritu, desipit omnis caro. Si Deum gustares facilè abominareris voluptates & vanitates : sed quia gustum non inuenis in rebus spiritus, potius placent mundi amaritudines. Vt itaq; merearis frui æternis illis ac veris bonis cœlestibus, procul abs te propelle omnes vanitates & dolos mundi.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE VANITATE MVNDI, *in quo continetur quàm peruersus sit mundus in moribus.*

CAPVT I.

De conditionibus mundi.

NOlite diligere mundum, nec ea quæ in mundo ſunt, dicit S.Ioannes. Qui ignorat malitiam alicuius rei tantò ſecurius viuit, quātò minus timet damnum quod ex eo prouenire poteſt. Quare operæpretium eſt, vt cognoſcas conditiones mundi, vt melius ab eo tibi cauere poſſis. Manifeſtæ ſunt eius fraudes eiuſque improbi mores conuincunt quàm parū debeat amari. Proprium eſt ipſius, ſibi appropinquantes inficere. Multos decipit & excœcat. Cùm fugit, nihil eſt; ſi videtur, vmbra eſt; ſi exaltatur, ignis eſt. hominibus ſtultis ſuauis eſt, ſapientibus verò & prudentibus amarus. Qui eum amant, non agnoſcunt, ſed tantum illi, qui eum odio proſequuntur.

1.Ioan.3.

Ad eum cognoſcendum reſpiciendus eſt tibi ex longinquo, ſed qui ei propius ſe applicant, nec mundum, nec ſeipſos cognoſcunt. Producit multa mala, & eſt occaſio omnium eorum, quę imprudentibus infœliciter accidunt. Odit amantes, decipit credentes, & perſequitur ſibi morem gerentes, affligit amicos, vituperat honorantes, & obliuiſcitur ſuijpſius memores. magis fugiendus eſt cùm nos videtur iuuare, quàm quãdo apertè nos perſequitur: quantò familiarior: tantò periculoſior: peior eſt cùm blanditur, quàm cùm indignatur. Qui non videt mundum, mundus videbit eum. Vę cõfidentibus in eo; fœlices verò qui ſpernunt eum. Mundus timendus, & fugiendus eſt: fallax eſt eius vita, & infructuoſus labor, perpetuus timor & periculoſus eius honor. Principium ſine prudentia, finis ſine pœnitentia: liberalis in promittendo, & parcus in præſtando. Fieri non poteſt vt viuas in mundo ſine timore, dolore, labore & grauiſſimo quoque periculo. Illaqueat homines, nec eos quieſcere ſinit donec trahat ad mortem. Amare mundum, & non præcipitem ferri impoſſibile eſt. Cur cupis videre mundum ex omni parte immundum? Mutatur

tur in singula momēta, & crebra sui mutatione prorsus vergit ad corruptionem: promittit amplas commoditates, quas tamen nunquam reipsa præstat: porrigit suis pulchros in speciem fructus, intus plenos vermibus & fœtore intolerabili: gloria eius deserit viuentes, nec sequitur mortuos.

In promissis mundi est falsitas, tristitia in lætitia, remorsus in delectationibus, scrupulus in consolationibus, dubios reddens in prosperitatibus. Nihil in eo stabile, nil firmum: speciem tantùm habet boni qua decipit simplices, qui eũ non cognoscunt, quia implicati amaritudinibus aquarum suarum, quas anteà putabant esse dulces, agitati fluctibus eius, donec tandem immersi abysso perditionis ruant in æternam damnationē.

Est instar fallacis mercatoris, qui pannum subtilem in superficie ostendens, vendit, cùm sit intus rudis ac crassus; sic sub specie voluptatis obtrudit tandem æterna tormenta.

Tu verò ad eius vocem aures obtura, cogitesque esse vocem Syrenis paratæ ad præcipitandum te in inferni abyssum.

CAPVT II.

De fallacijs & insidijs mundi.

Col. 2. VIdete ne quis vos decipiat (inquit Apostolus): blanda enim sui specie exterior mundus excæcat, vt non videantur interiora eius. Qui viuit in mundo tam fallaci, debet sibi bene cauere nisi malit decipi. Repræsentat sensualitati delectationes, sed sub illa vanitate latet fœditas & tristitia. Monstrat auarus nobilitatem auri, sed non curas & anxietates, quibus subiectę sunt diuitiæ.

Matt. 4. Inuitat ad honores dignitatis seu prę- laturæ, non autem ad onus ei annexum. Diabolus non duxit Christum ad sanctuarium, aut ad interiorem partem templi, sed suprà pinnaculum aut fastigium templi, magis ad ornamentum quàm ad necessitatem comparatum: Ita dæmon & mundus non inuitant interiori quodam conscientiæ remorsu, aut cognitione suijpsius, sed rebus exterius apparentibus & superfluis.

Exod. 3. Moyses seruus Dei interna inspiratione impulsus, duxit gregem ad interiora deserti. Imperabat Deus, vt animalibus sibi oblatis ante

Leuit. 1. omnia decorticaretur pellis.

Mun-

Mundus vult vt ei offeras seruitium, quod ei impendis coopertum pelle voluptatis, honoris & emolumenti, vt non appareat illa interna vitij malitia. Quare opus est, vt facias, quòd Deus iubet: ablata enim pelle voluptatis, cognosces, quot doli, scrupuli, & fœditates intus sint reconditæ. Opus est auferas vitij corticem: decortica & reseca vitij interiora plena doli, cognoscesque vanitatem ac malignitatem rei temerè ac frustrà amatæ. Respice dolum, quo decipit mūdus. Res magnæ videntur tibi paruæ & viles. Cùm Deus sit magnus, videtur tibi paruus, cùm sis ab eo separatus. Res verò paruæ huius mundi tibi videntur magnæ, quia eas turpiter amas, quas Apostolus habebat pro stercoribus. Philip. 4.

Amici Dei, lumine diuino repleti cognouerunt fallacias mundi. Si aliquantulum perpenderes, quàm paruo tempore durent res huius vitæ, & quanto labore acquirantur, & cōseruentur, fieri non potest, quin aliter vitam tuam instituetes. Ne fixius immoreris vanitatibus & voluptatibus mundanis, ne incidas in laqueos earum, ne earum picturis obnubileris, neúe ruas in mortem. Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in

sen-

sensū. Postquā intellectus biberit ex canalibus sensuum, inijcit ijs mundus ad imitationem Iacob virgas vlmi, quæ carent omni fructu. Honores & voluptates mundi sunt veluti flores cadētes. Flores & vanitates tuis sensibus mundus repræsentat. Et quamuis tuus intellectus sit purus, sensus tamen obicem ei interponit. Et quemadmodū mulier menstruata inficit speculum: Sic & mala imaginatio intellectum errore inficit. Si intellectus biberit ex canalibus sensuum imaginationis, & vanitatum mundi, facilè concipiet instar ouium Iacob agnos signatos, quæ sunt desideria mundana, & pariet opera iniusta.

Gen. 30.

Ne itaq; multum respicias ad viriditatem virgarum, quàm mundus tibi repręsentat, quia est mera apparentia sine substantia. Decipit mundanos, sicuti pueros candela accensa, in qua ipsi videntes pulchritudinem flammæ, dum illam attingunt, digitum non sine dolore retrahere cogūtur: Sic mundani, instar puerorum sine iudicio, dum patiuntur se decipi specie pulchritudinis mundanæ, conijcientes sese in flammas vitiorum, offendunt tandem manus vacuas, & conscientię inflammationem siue destructionem.

CA-

CAPVT III.

De falsitate mundi.

EST qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo, dicit Sapiens. Ne credas dictis eius, nec persuadeas tibi, cum mundo firmam ineundam amicitiam. Ne confidas Ioab fallaci, nec credas mundum tibi fauere, alioqui incides in laqueos eius, & falso pacis osculo te interficiet, tanquam alterum Amasiam. Quicquid dicit & consulit falsum & dolosum est. Quicquid appetitus tibi suggerunt, sunt doli, qui cum tibi promittunt vitam, ducunt ad mortẽ; quibus si fidem adhibueris, non secus ac Achab credens falsis Prophetis quadringentis adulatoribus, sibi falsam victoriam pollicentibus peribis. Sed remorsus conscientiæ est Michæas, qui dicit verum, & multos ipsius dolos detegit: Tu autem eum odio prosequeris, sicut Achab oderat Michæam, quia illi dicebat veritatem. Studet profectui tuo spirituali, quare habes eum pro hoste. Potius mauis errare cum mendacibus vitæ periculo proposito, quàm bene agere cum Pro-

Eccl. 19.
2. Reg. 01.
3. Reg. 22.

Propheta Dei, & viuere sine periculo. Mūdanus obsequens suis affectibus properat ad bellū mortis, vbi amittit vitam.
3. Reg. 21. Hi sunt falsi testes Iezabel, qui auditi extinguunt spiritum. Ne adhibeas aurem eius mendacijs, nisi velis illaqueari dolis ipsius. Omnes eius blanditiæ sunt fictæ, quibus hominem imprudentem fallit. Quamuis igitur mundus nunc se ostendat amicum, tempore necessitatis inuenies eum inimicum. Argentum viuum, quamuis arctè copuletur auro, iniectum tamen in ignem consumitur: Ita mundus in maiori necessitate & tribulationis igne te deseret, vt cognoscas quàm vana sit gloria eius, cùm in momento euanescat. Amicitia mundi ad decipiendum prorsus est comparata, quæ licet tibi nūc blandiatur, in hora mortis omninò te deseret.

Ne bibas de lacte delectationum eius, nec dormias sub fiducia eius, nisi velis
Iud. 4. mala morte perire, sicut Sisara fidens Iaheli, qui dum conuiuio ab ea exciperetur, fuit interfectus.
Isaiæ 3. Dicit Deus; Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Ne confidas honoribus & voluptatibus mundi, nisi perire velis, sicut interfectus fuit à leone, qui credidit Pseudopro-

doprophetæ. Et quamuis videatur non esse peccatum viuere in prosperitate, est tamen periculum. Videtur mundus esse pulcher, cùm sit turpis & vanus instar stipitis adornati, qui sua pulchritudine externa oblectat duntaxat, cùm nihil aliud sit, quàm putridum quoddam lignum. Piscatores esca cooperiũt hamum ad decipiendum pisces: ita omnes mundi fauores tendunt ad tuum damnum, & sub herba viridi latet plerunque anguis. Sic meretrix illa Babylonica ex vase aureo propinabat venenum. Quot sunt, qui bibunt vinum ex vasis honorum, diuitiarum, & vanitatum? Vase honoris decipiuntur simplices, ignorantes venenum in eo latens: fuge itaq; dolos eius, si mortem euitare voles.

3.Reg.13.

Apoc.18.

CAPVT IIII.

De falsis promißis mundi.

REpromissio nequissima multos perdidit, dicit Ecclesiast. Quis in eo inuenit lætitiam sine tristitia, pacem sine discordia, sanitatem sine infirmitate, panem sine dolore? Promittit omnia bona, nec dat aliud præter malum. Promittit lætitiam, adfert verò labo-

Eccl.39.

borem, promittit stabilitatem, & statim recedit: promittit quietem, & adfert turbationem: pro honoribus adfert ignominiam: promittit longam vitam, quæ tamen est breuis, multisque periculis & miserijs exposita. Vita verò quam monstrat, non est vera vita dicenda. Aliquibus eam prolongat ad decipiendū: alijs abbreuiat, ne conuertendi sese locum inueniant: alijs dilatat, vt extollat: alijs restringit, vt nihil boni faciant, sed faciant omnia ad libitum: Quos omnes decipit, ac omni debita cognitione priuat. Septem annis seruierat Iacob Labano, quibus mereretur habere Rachel; sed socer per dolum ei obtrusit Liam. Talis est mundus, qui vnum promittit, & aliud intendit:

Gen. 29.

Non cognoscunt mundani vanitatem mundi, quousque veniat obscuritas vitæ præsentis, cum per mortem aperiantur ipsis oculi intellectus, tunc tanquam alter Iacob cognoscent dolos eius. Tunc demum experientur finem honorum mundi plenum esse amaritudine. Multi etiamsi cognoscant eius dolos, videntur tamen gaudere de proprio malo sicut Balam, qui cadebat oculis apertis. Tres amici Iob volebant eum cō-

Num. 22.
Iob 3.

solari

ſolari tanquam amicum, poſtea tamen ei iniuriati ſunt, & multa mala de eo dixerunt: Sic tria vitia capitalia mundi te aggrediuntur ſuauibus verbis: ſed tandem hoſtes tui fiunt. Mundus ſuis blanditijs fingit ſe tibi amicum, cùm interim ſit crudelis inimicus: pollicetur tibi longiorem vitam, ac ita impedit profectum tuum ſpiritualem, vt ſic neglecta pœnitentia cogaris tandem mortem ex improuiſo ſubire. Vide ne eius dictis doloſis fidem adhibeas, alioqui te inſigniter deceptum inuenies.

CAPVT V.

Quomodo mundus obliuiſcitur ſuorum.

PEriit memoria eorum cum ſonitu, dicit Propheta. Ne cures amicitiam mundi, quia amicorum ſuorum facilè obliuiſcitur, Si vis vt recordetur tui, ſperne eum, & nunquam tui obliuiſcetur. Quorum itaque recordatur mundus? S. Hieronymi, aliorumque ſimilium, qui ſpretis mundi voluptatibus viuebant in deſerto: horum inimicorum ſuorum perpetuam ſeruat memoriam. *Pſalm. 9.*

In memoria æterna erit Iustus: Nonne adhuc durat memoria perpetua S. Pauli Heremitæ, aliorumque similium, qui plurimis interdum annis in speluncis & cauernis latuerunt inclusi? Quorum recordatur Roma? non multorum illustrium Principum, sed potius illius piscatoris S. Petri, qui contempsit mundum: Adeò vt ipsi Imperatores & Pontifices nunc venerentur eos, qui hic in terris omnem mundanam gloriam procul à se abiecerunt, non verò eos, qui eam nimis affectarunt.

Odio habentes mundum Deus amat, eumq; deserentes Deus recipit, imò eorum mundus perpetuam celebrat memoriam.

Mirabile certè & stupendum est, quòd cùm quis seruus Dei fugerit mundum, & separatus fuerit ab eo, habitans in aliqua cauerna, ex permissione diuina postea toti mundo factus fuerit celebris.

S. Maria Ægyptiaca nunquam adeò celebris facta fuisset, nisi habitasset in heremo: Si mansisset in mundo, iam nulla eius vigeret memoria, sed quia fugit mundum, consecuta est gloriam immortalem. Vides quod dum desidera-

deramus honorem, eum amittamus, & dum volumus esse magni, fiamus tandem parui. Quæ cupimus ad conseruandum, fiunt media ad destruendum, & perdimus vnde sperabamus lucrari.

O stultos nos, & planè cæcos, quod velimus magni haberi, cùm soli, qui voluerunt esse parui, facti fuerint magni: ambimus perpetuam memoriā, quam nunquam tamen assequemur. Nullus honoratior eo, qui fugit honorem. Nullus ditior eo, qui paucis est contentus. Nullus magis extra hominum memoriam positus est, quàm qui eam immodicè quæsiuit. Omnes, quorum mundus celebrat memoriam sunt eius inimici, Dicit Matathias filijs suis: Nunc ergo ô filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum, & mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam & nomen æternum. Permittit diuina prouidentia, vt celebretur perpetua memoria mundi inimicorum, amici verò eius ponantur in obliuione. Delet Euangelista memoriam Iezabel vsque ad quartam generationem. Sic etiam Deus destruxit memoriam Amalech in terra.

1. Mach. 2.

Exod. 17.

Memoria verò iuſtorum ſemper manebit cum domino ſuo, qui eſt æternus, ſed memoria mundanorum peribit, etiam multò antè finem mundi. Vanitatis magnæ eſt offendere Deum ad relinquendum tui memoriam in hoc mundo, miſerabili parum duraturam. Cùm itaque mundus adeò obliuiſcatur amicorũ ſuorum, tu poſthac in ſolo Deo ſpem tuam repone quæſo, tanquam vero & fideli amico.

CAPVT VI.

De ijs, qui mundum obliuiſcuntur.

MEmoria veſtra aſſimulabitur cineri dicit Iob de mũdanis. Nunquam ceſſabit in hac vita ſufflare ventus, qui ſpergit cinerem, famam nimirum & memoriam, quam quærit homo mundanus. Dicit Pſalmiſta: Sunt tãquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. Magna eſt vanitas hominum, qui cùm ſciant ſe conuertendos in cinerem & exponendos vento, putant tamen ſe longo tempore in hominum memoria permanſuros. Quid iuuat tui memoria apud homines, ſi ſemper manes in inferno, quaſi per hoc minuatur aliqua

Pſalm. 1.

ex parte tua pœna. Vanitas eſt affectare memoriam tui in hoc mundo, cùm habeas conſcientiam maculatam. Magnæ vanitatis eſt, cupere ſe per ora hominum volitare, cuius contrarium potius eueniet. Mundus ad modicum tempus ſuis fauet, ſed citò eorum obliuiſcitur, quaſi nunquam fuiſſent.

Memoria iuſti (dicit Sapiens) cùm laudibus, & nomen impiorum putreſcit. Sed Iuſti memoria in omni ore erit ſuauis. Omnis memoria huius mundi parum durat. Quæ iam memoria reſtat obſecro honorum, diuitiarum huius mundi, & pulchritudinis mundanorum? Nónne vnà cum vita ſepulta eſt memoria eorum? Superba eorum palatia euerſa ſunt, & ſepulchra eorum deſtructa, nec veſtigium quidem relictum eſt viæ eorum? Tranſit vita inſtar floris, magnoque conſtitit mundanis, quod ab eo acquiſiuerunt. Momentaneæ fuerunt voluptates eorum, dolores verò erunt perpetui. Gloria eorum inſtar puncti: Laborum verò & tormentorum nunquam erit finis. Multi non recordantur malorum ſuorum, donec videant ſe ijs planè inuolutos. Redimunt exiguas voluptates & honores magno labore & ſu- *Prou. 10.*

ſudore,quibus dũ frui ſe ſperant,in momento deſtituuntur. Multi plurimum in hoc laborârunt, vt acquirerent laudes humanas,ſed fruſtrà. Quot fuerunt,quorum doctrina fuit in magno pretio, eorum tamen in præſens nulla eſt memoria: Vnà cum morte extincta eſt memoria eorum in ſempiternum. Vbi ſunt nũc tot Reges & principes cum omnibus ſuis honoribus,diuitijs & voluptatibus? Eorum nunc memoria eſt inſtar vmbræ quaſi nunquam fuiſſent.

Quot nobiſcum ſolebant olim indulgere genio & poculis, quos hodie ſepultos pedibus conculcamus: qui amplius ad nos redituri non ſunt,ſed nos ibimus ad illos. O quàm citò omnia tranſeunt: Quàm nulla nunc reſtat memoria potentiæ eorum:Omnia cõſumuntur cum tempore,Deus manet in æternum:mundi verò voluptates ſunt momentaneæ.

Omnia deficiunt, & nos quoque citò à nobis mutuò ſeparabimur: inſtatq́; tempus quo corrodemur à vermibus, & in puluerem , & cinerem redigemur, & magis magiſq́ue appropinquat hora, qua redigamur in puluerem,& cinerem. Ne cogitemus,melius nobiſcum actum iri, quàm cum illis,qui præmortui ſunt,

quo-

quorum vt nulla nunc restat memoria, ita nec nostri. Breuiter, omnia tendunt ad terminum suum, omnia plena vanitatum præter amare Deum, quod in æternum durat: gloria verò huius mundi in momento transit.

CAPVT VII.

Quod mundus non cognoscat suos.

VIR insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc, dicit Psalmista. Laborant mundani vt acquirant honores huius sæculi, quos postea mundus non cognoscit. Nabal multis beneficijs affectus fuerat à Dauide, qui eum tamen in necessitate non agnouit, cùm diceret: Quis est Dauid, & quis est filius Isai? Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi messoribus meis, & dabo viris, quos nescio vnde sint? Per stultum Nabal figuratur mundus mutabilis, qui te veterem amicum, à quo anteà multa seruitia acceperat, in necessitate constitutum deserit.

Psalm. 91.

1. Reg. 25.

Mundus est ingratus instar Cauponis, qui hospitem aut peregrinum quan-

tumuis apud ſe diuerſatum, & qui multas in eius diuerſorio pecunias expenderit, rogatus tamen an cognoſcat, ita ſe erga eum habet, quaſi nunquam vidiſſet: Ita quoque mundus tam ingratus eſt, vt nec familiariſſimos quoſque famulos, quando opus eſt, agnoſcere velit. Sed vt mundus te cognoſcat, neutiquam eum foue, ſed malè eum tractes. An ignores cur mundus Sanctos adhuc cognoſcat? quia eum malè tractârunt: ſic caupo potius cognoſcit hoſpitem, à quo iniurias accepit, quàm à quo lucrum aliquando reportauit. Ne ineas familiaritatem cum mundo, & cognoſcet te. O quot fuerunt in hoc mundo potentes, nobiles aut diuites, mundi amatores, qui nullam amplius ſui memoriam reliquerunt in hoc
Ioan. 10. mundo. Tu igitur relicto mundo (ſi ſapis) ſeruias Chriſto, qui agnoſcit ſua pecora, & paſcet te in paſcuis gloriæ.

CA-

CAPVT VIII.

De periculis, in quibus viuunt mundani.

Eccl. 43.

QVI nauigant mare, enarrant pericula eius, dicit Sapiens: quæ nemo melius nouit, quã qui expertus est. Nauigatio verò inter periculosas vndas huius sæculi, tãto periculosior est, quãto magis nos auertit à quiete, quam sperat anima nostra de æterna fœlicitate. Aquæ eius sunt amarę, vt omnes mũdanæ consolationes: vbi potentes veluti pisces magni deuorant paruos. Qui seruiũt mundo, animum expositum habent varijs veluti procellis, curis, & sollicitudinibus huius sæculi. Proinde dicit Saluator: *Ioan. 16.* In mundo pressuram habebitis. dicit Esaias: Cor impij quasi mare feruẽs, quod quiescere non potest. Vidit illud Daniel agitari quatuor ventis contrarijs quatuor passionũ: honores & diuitias sequuntur curæ & sollicitudines: superbia vitæ, & arrogantiæ plurimum inter honores & mundi vanitates: pauci diuites immunes sunt à vitijs, pauci in dignitate constituti seruant humilitatem cordis, paucíq;

inter eos, qui mundo se oblectant liberi sunt à peccatis. Miraculum foret, si is, qui inuoluitur rebus huius sæculi, possit fiduciam suam ponere in Deo. Fœlicem eum, qui voluntariè spernit res terrenas, quæ plenæ sunt periculis & laqueis, & pertrahunt ad infernum. Sed si ab illis liberari velis, fuge cum Helia ad desertum pœnitentiæ. Si diligenter perpenderis pericula, quæ sunt in mundo, facilè ea effugies: Sed qui non timet, tanquam temerarius facilè in illa incidet. Fuerunt quidem olim, qui cùm honoribus, & diuitijs abundarent, adhuc manserunt amici Dei: Sed alia nunc sunt tempora; periculis nimirum magis obnoxia. An ignoras, quod quando est tranquillitas in mari, nauigetur securè? sed in tempestate nauigantes coguntur etiam proprias merces eijcere, vt alleuient nauem. Tempore Abrahami quietum erat mare huius mundi, cùm Abraham (alioqui ditissimus) proprijs manibus lauabat pedes peregrinorum, & Sara exercebat opera humilitatis; simplici enim victu & vestitu illi erant contenti, humilibus iumentis vtebantur, non seruiebant diuitijs, sed diuitiæ ipsis; Sed in hoc mundo tempestatum pleno, diuitiæ

tiæ & honores sunt mera irritamenta malorum, ac propterea sunt fugienda, cùm valdè impediant spiritum. Si ad saluandum corpus lubenter abijcis bona ista temporalia, quantò magis ad saluandum animam, cùm non minus periculosa sint animæ hoc tempore, quàm solent in tempestate naui nocere nimia onera? Ne quæso præferas momentanea ista & transitoria veris ac æternis.

Rursus si pericula omninò sunt vitanda, & mundus adeò periculo sit plenus, meritò ille tibi vitandus fuerit. Si mundus iste est instar maris tempestuosi, vbi periculum est adeò præsens, vide ne cum Pharaone Rege Ægypti in eo submergaris. Fuge igitur ad terram promissionis, vt merearis peruenire ad portum æternæ beatitudinis.

CAPVT IX.

De negligentia, in qua viuunt mundani.

ERat Helias dormiens sub vmbra Iuniperi inter multos inimicos, dicit Scriptura. Sic iter facientes interdũ fatigati procumbunt ad vmbram arbo- *3. Reg 19.*

ris, & recedente vmbra inueniunt se à Solis æstu penè coctos. An non omnia huius sæculi sunt instar vmbræ, sub qua dormiunt seruientes huic mundo, dum obliti salutis propriæ, confidunt vanis honoribus huius sæculi? Si confidis in fauore Principum, dormis sub vmbra, quæ citò transit; quia fauor eorum non est durabilis, quum saltem illis morietibus solus remaneas, & derelictus. Maledictus qui confidit in homine, dicit Scriptura. Maledictus qui cōfidit in Principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus: à quibus nihil tibi certi polliceri queas, apud quos si hodie es in gratia, cras poteris illis esse odio. Ne dormias sub scuto amicitiarum alienarum aut diuitiarum, quia nihil in illis durabile. Ne cōfidas in pulchritudine, quæ tanquam vapor facilè à subiecto suo recedit, nec in mundi gloria ponas spem tuam, quæ auolat instar venti: Honores quoque instar fumi & vmbræ transeunt. Quæcunq; in hoc mūdo sunt fluxa sunt & caduca, tu quoque breui rapieris ad mortem. Dormiebat ad vmbram Saul, cùm tamen versaretur in periculo, ne occideretur ab hostibus: Ita multi, dum confidunt viribus corporis & robori ætatis, differunt pœniten-

tentiam, & indormientes vmbræ miserabilis huius vitæ, animæ suæ tandem periculum adeunt. An non Abisai, dum confideret in suis armis miserè interijt? An non etiam Isbozet circundatus ab inimicis, dum dormiret occisus est? Vide ne & tibi vanitatibus huius mũdi indormienti simile quippiam accidat: veniet mors, & interim dum excitaris, inuenies te præcipitatum in ignem Inferni inextinguibilem. O quomodo confunderis in puncto mortis, vbi omnia ea, quibus es confisus videbis conuersa esse in fumum ac vmbram.

Ne itaq; amplius indormias vmbræ vanitatis eius, ne in morte inuenias te circundatum varijs angustijs & tormentis.

CAPVT X.

De seruitute mundanorum.

SEruietis dijs alienis, qui nec nocte, nec interdiu patientur te quiescere: Sic qui indulgent suis prauis cupiditatibus patientur intolerabilia tormenta. Fallaces blanditiæ Dalidæ deceperunt Samsonem, quem excæcarunt Philistæi, cumq; coegerunt in mola molere *Hier.10.*

 fari-

farinam : Sic tu quiſquis mundo ſeruis, ſimilis es Samſoni, cùm nocte dieque cir cumiens. quæris diuitias huius mundi & honores: inſiſtens continuò inordina-
Pſalm.11. tis animi tui affectibus. Dicit Pſalmiſta: Impij in circuitu ambulant, quia non ambulant in recta ſanctorũ ſemita, quid mirum cùm deprimantur ſuorum peccatorum pondere? Patianturque facilè capitis vertiginem, & cerebri priuationem, dum vanas quaſdam & falſas voluptates ſectantur.

Sap.5. Laborauimus, laſſati ſumus ambulando vias aſperas & difficiles iniquitatis, dicit Sapiens in perſona mundanorum. Si mundo te addixeris non plus emolumenti reportabis quàm Samſon, qui nullum omninò præmium retulit pro immenſis ſuis laboribus. Multis annis non ſine animi moleſtia ſeruiuit Iacob Labani, à quo ſæpè deluſus fuit, & promiſſo ſtipendio fruſtratus : ſic multis accidit, qui dum multum ac diu ſeruiunt mundo, præmiumque ſuum expectant, vix tandem referunt dimidiatam ſuam mercedem, imò ſæpè nullam, poſt tot ac tam intolerabiles labores, quos illi ſeruiendo ſubierunt. Sed ſi mundani tot tolerant labores vt ſeruiãt mundo

mundo inaniter, quantò magis toleran-
di essent labores in seruitio Christi cum
certa expectatione præmij cœlestis?

Qui nolunt res præsentes commutare cum futuris, similes sunt Iudæis, qui maluerunt præferre Tyrannidem Pharaonis in Ægypto, quàm parum laborando sperare quietem in terra promissionis. Exod. 1.

Inuitati in Euangelio maluerunt ire ad negotia sua, quàm ad conuiuium regis æterni. Si vocasset eos ad labores, saltem potuissent aliquatenus excusari. Grauiter igitur erras, si spreto suaui Christi iugo amplectaris tolerabilem seruitutē mundi. Stultitiæ est potius in dolore dentiū tolerare multas malas noctes, quàm extracto dente corrupto liberari à tanto cruciatu: Sic etiam stultitiæ est in anxietate multa vitā degere, dum quis indulget prauis suis affectibus, cùm possit suauitate Spiritus postea gaudere, si modò animæ suæ passiones probè edomare didicisset. Nunquid stultitię est, si homo liber velit ducere vxorem ancillā cum præiudicio propriæ libertatis? Quid etiam stultius quàm, quod voluntas spreto Dei timore subijciat sese seruituti creaturarū & captiuitati huius mundi?

Iud. 16. Anne ſtultus fuit Samſon, qui dum ſenſiſſet ſe deceptum eſſe à Dalida, maluit tamen cum periculo captiuitatis ei ſeruire ac obſequi, & dum eius mendacijs nimiam adhiberet fidem incidit tandem in mortem? Sic & tu ſtultus fueris, ſi credas mendacijs & vanis blanditijs mũdi huius. Vide ne prout Samſon venditus fuit à Dalida, ita & te mundus vendat doloſus ſuis delitijs.

Vide ne cum Samſone eruantur tibi oculi ne videre poſſis mundi dolos, curas & anxietates, vt nec vel minimum guſtare poſſis quàm ſit ſuaue iugũ Chriſti. O quantò melius eſt ſeruire Deo & regnare, quàm per ſeruitium mundi experiri famem intolerabilem.

Tu itaque aliorum periculo cautus, excuſſo duriſſimo mundi iugo, ſuauiſſimum illud quomodolibet Chriſti iugum amplectere.

CAPVT XI.

De graui mundi iugo.

VEnite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus vestris dicit Dominus. Homines huius seculi tanquã onusti & laboribus fracti incedunt: cum labore acquirit mundus quod desiderat, cum timore possidet, & cum dolore relinquit. Scribitur in Apocalypsi, qđ adorantes bestiã non habuerint quietẽ: Sic agitur cum ijs qui sequuntur bestiales suos appetitus. Ignosci possit simplicibus, si dum tota die currunt ad acquirendum arundinẽ, vel calamum arundineum, postea incidant in præcipitium: Sed turpe est te, qui iudicio præditus esse deberes, tantum laboris perferre ad consequendos honores & diuitias momentaneas, quæ subitò pertrahẽt te in interitũ, perditionem, & æternam damnationẽ.

Mat. 11.

Apoc. 14.

Nescis quò eas, nondum agnoscis periculum in quo viuis, non attendis ad laborem quem perfers, & quod omninò nihil sit quod quæris, & ob quod ita frustra laboras, nec vllum præmium

repor-

reportabis, quod non ſit doloribus & anguſtijs plenum. Qui vult oppugnare ciuitatem, cauet, ne ſumptus maiores ſint lucro.

Vide bene quàm carè conſtet ſeruire mundo, cùm eius conſolationes plenæ ſint doloribus, reperianturq́; ibi poma acerba, quibus ſtatim dentes obſtupeſcũt. Dicit Dominus: Sepiam vias tuas ſpinis. Horti circundati ſunt ſpinis, ne aliquis inde percipiat fructus. Hæ ſpinæ (dicit Dominus) ſunt curæ & ſollicitudines diuitiarum. Eas poſuit Deus in via, vt proſpectis eius laboribus & moleſtijs parum fructuoſis, caueas tibi ab eis; imò in eius voluptatibus inuenies luctum & conſcientiæ remorſum, in proſperitate amaritudinem, cum ipſum peccatum tormentum ſit peccantis. Adeò dolores proſperitatibus huius ſæculi ſemper ſunt coniuncti. Si amas bona huius mundi, velis nolis obijcieris multis moleſtijs, & laboribus, quia licet ſis in proſperitate, adhuc timebis ne amittas illud quod poſſides; ſi ſis in aduerſitate, viues in continuo dolore. Hoc permittit Deus, quo in ipſi ſoli ſeruias & adhæreas.

Oſeæ 2.

Sunt quidam adeò guloſi, vt inter pũcturas ſpinarum quærant fructus: tales ſunt

sunt qui non verentur subire periculum salutis æternæ, & grauiter lædere cõscientiam, modò tamen satisfaciant suis prauis cupiditatibus, nihil consequuntur, & tamen toti in eo sunt occupati, vt efficiãt id quod sensui placet. O si cõsiderares cũ quanto præiudicio conscientiæ redimas hanc breuem delectationem, non adeò stultus esses, qui cum tanto periculo te totum traderes mundo. Cùm igitur hactenus satis expertus es duritiam iugi mundani, cõuertere ad Christum qui te vocat, & tandem aliquando cognosces mundi iugum fuisse intolerabile, iugum verò Christi longè suauissimum.

CAPVT XII.

De suauitate iugi Christi.

IVgum meum suaue est, & onus meum leue, dicit Dominus. Iugum Christi suaue est amantibus, graue tepidis, amarum superbis, leue mansuetis, & amabile humilibus: dulcis Iesus omnia facit dulcia, omnis virtus habet coniunctum secum bonum, & recreat exercitantem. Consolatio est afflictis habere socium in pœnis; Iesum Christum ha- *Mat.* [illegible]

bes

bes tuarum tribulationum ſocium, vt onus hoc leuius feras. Qui ſuſcipit iugum Domini non poteſt manere deſolatus. Sancta lex vocatur iugum, quod ſolet portari à duobus animalibus. Si libenter ſubmittas te iugo Domini, non incedes ſolus. Dominus in ferendo te ſubleuabit. In omnibus laboribus, quos aſſumes propter amorem Dei, inuenies tecum Chriſtum. Bos minor fert maius periculum iugi; cùm itaque Chriſtus ſit omnium hominum minimus, ille maius onus ſuſtinet, vt tibi leuius reddatur: Chriſto fuit graue iugum, nobis verò leue. quid potes facere pro ipſo, quo non amplius fecerit Chriſtus pro te? Alleuiatur onus ſerui dum conſideratur maius onus innocentis Ieſu Chriſti. quanto liberalior eſt clementia diuina ipſo homine, tanto ſuauius eſt iugum Chriſti, omnibus alijs oneribus. Qui non portat hoc iugum, eſt onuſtus, quod tu portando factus es leuis. Iugum Chriſti non onerat hominem, ſed leuiorem reddit. Nūquid auis ferens ſuper humeros ſuos onus alarum ſuarū, propterea habet plus oneris? imò minus, cùm ijs inſtructus facilius volare poſſit. onus ſancti iugi Domini non facit hominem pigrum, ſed diligentem;

tem;

tem; non facit mœſtũ, nõ quærulosũm: non tardũ, ſed iucũdum & promptum: non ſunt ſerui ij, qui Domino eiuſq; iugo ſunt ſubditi, cùm per hoc acquirant veram libertatem & dominium ſpiritus, laborioſa illa pœnitentiæ via ſuauis eſt & iucunda per conuerſationem cum Ieſu Chriſto. In tribulationibus, quas pateris pro Ieſu Chriſto, ſuauibus conſolationibus recreaberis. Dicit Pſalmiſta: labores manuum tuarum manducabis, *Pſalm. 127* non dicit fructũ laborũ, quia ſeruus Chriſti nõ ſolum gaudebit fœlicitate, qui eſt fructus laborum, ſed & ijſdem laboribus ſe ſuſtentabit in hac vita per guſtum, quem anima percipit in tribulationibus, quas ſuſcipit pro Chriſto. Bonus eſt Deus cùm in hoc exilio & tantis tribulationibus det quietem ſuis: ſuauiores ſunt lachrymæ orantium quàm riſus mundanorum: delectabilior eſt vna guttula ſuauitatis ſpiritus, quàm omnes cõſolationes & delectationes mundanæ. Delectationes ſeruorum Chriſti ſunt ineffabiles ſub aſperitate tribulationum, & tanquã flores inter ſpinas. Mũdani dum iugum Chriſti æſtimant aſperũ, neſciũt quid dicant, non minus quàm ſi cæcus de coloribus iudicet: & quemadmodum

dum is, qui iudicat malam viam quam non eſt expertus: ſed cùm omnes ſancti portarint iugum Chriſti, & experti ſint eſſe ſuaue, plus ipſis fidei adhibendũ eſt, quàm ijs qui nunquam illud portarunt. Nullus portauit hoc iugum quin illud ſuaue eſſe faſſus fuerit, nullus illud aſperum dixerit, niſi qui non eſt expertus: ſed hoc experti ſunt ij qui poſt confeſſionem, depoſita peccatorum ſarcina, adeò leuatos ſe ſentiunt, vt videantur ſibi eſſe in paradyſo: ſi tanta conſolatio occurrit in ſeparatione à malo, quanto maior ſe offeret in progreſſu exercitiorum virtutis? nec etenim poſt vnum actum vocaberis virtute præditus, ſed ex pluribus actibus naſcetur virtutum habitus, poſtquam prius te ſeparaueris à malo, & exercueris te in virtutibus; ac optimè tecum agi ſenties, quando veram experieris conſolationem, vbi te videris progredi in via ſpiritus. Qui ſeruiunt mundo non guſtant ea quæ ſunt Spiritus Dei, & multis bonis ſeſe priuant. O ſi vel tantillum guſtaſſes diuinæ conſolationis, facilè omnia, quæ hic videntur dulcia diceres eſſe amara. Si igitur Chriſti iugum eſt adeò ſuaue, mundi verò graue, lubenter ſuſcipias iugum Domini, & tunc demum.

mum bene hic tecum, & postea actum esse dixeris.

CAPVT XIII.

Quomodo in nostris tribulationibus debeamus recurrere ad Deum, non autem ad mundum.

VEnite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos, dicit Dominus. Si relicto Deo recurras ad mundum, non inuenies consolationem in tribulationibus tuis: quamdiu animi tui cupiditatibus, & mundo obsequêris, fugiet abs te consolatio. Desolatus erat rex Dauid cùm diceret: Renuit consolari anima mea. Sed conuersus ad Deum repletus est consolatione, vt dicitur in eodem Psalmo: Memor fui Dei, & consolatus sum. S. Maria Magdalena, cùm esset desolata, recurrit ad Christum in domum Pharisæi, & obtinuit veniam: sed Iudas desperatus confugiens ad homines, laqueo se suspendit. Vides quanto fuerit prudentior mulier illa, quàm Iudas proditor; vterque errauit & cognouit peccatum suum, sed multo melius sibi consulit illa fugiendo ad fontem consola-

Matt. 11. *Psalm. 76.* *Luc. 7.* *Matt. 27.*

ſolationis, quam diſcipulus ſtultus, qui
relicta vita quærebat mortem. Quis ima
ginem multo ante perfectam, & poſteà
maculatam melius reſtaurare poterit, q̃
pictor qui illam fecit? Si itaq; animam
tuam maculaſti aliquo peccato, quis illã
melius reformare poterit quàm Deus,
qui eam ad ſimilitudinem ſuam creauit?
Proinde ne eam committas reformandã
mundo. tanquam inepto artifici, ne peni
tus ab eo deſtruatur. Ne fidem adhibeas
eius mendacijs, ſed conuertere ad Deum
omnis miſericordiæ fontem. Stultè fece
ris ſi petas eleemoſynam à paupere, cùm
adſit diues ad eã conferendã promptiſſi
mus. Omnis creatura pauperior eſt, quã
vt te conſolari poſſit: Deus verò hac in
parte eſt liberaliſſim⁹. cõuertere itaq; ad
eum, & iacta cor tuum in eo, qui eſt vera
quies & conſolatio, quære tanquam co-
lumba Chriſti veram arcam Noë in ſe-
creto cordis tui, ne imiteris coruum im-
morantem mortuo huic mundo, ſed co-
lumbam, quæ ſtatim reuerſa eſt ad arcã.
fuge exteriorem conſolationem ſi vis in-
terius conſolari: ſi eſuris Chriſtus te ſa-
Pſalm.103. tiabit pane cœleſti. Fœlix ille qui ſe ſepa-
rat ab omnib. rebus temporalib⁹, & Deo
offert omnia opera ſua. Tibi vnum eſt
ne-

necessarium, nonne melius est vt adiungas te vni quàm multis. quærant alij res varias exteriores: Tu vnum bonum interius quære, eoq; sis contentus. Ab vno procedunt multa, non vnum à multis. Quærendo res has visibiles, dum putas in ijs inuenire quietem, amittis vera bona, & si te conuertas ad bona transitoria, perdes vera bona, & inuenies te angustijs multis inuolutum, si verò ad Deum summum bonum te cõuerteris, inuenies in eo quietẽ, & omniũ bonorũ & perfectionum cumulum. Quære aquam viuam in fonte perenni, qua refrigeres animam tuam, quia nobilior est guttula vna diuinæ consolationis, quam omnes fluuij & lacus abundantissimi humanarum consolationum. volunt mundani esse quieti in rebus inquietis, volũt stabilitatem in rebus instabilibus: illi igitur assumant honores mundanos pro scuto, tibi verò sufficiat accedere ad Deum, & in eo omnem tuam fiduciam collocare.

CAPVT XIV.

De delectatione mundanorum.

Psalm.36. VIdi impium superexaltatum sicut cedros Libani, transiui & ecce nō erat. Iusti verò habiti fuerunt pro mortuis in hoc mundo, instar arborum, quarum veræ virtutis radix erat abscondita: quare oculis mundanorum visi fuerunt inutiles & nullius frugis. *Cant.2.* Venit æstas & floruit virtus, & induti fuerunt gloria, transijt hyems tribulationum. Flores apparuerunt in terra nostra, ita dicent iusti cùm splendentes instar solis præsentabuntur coram Deo.

Ne confidas viriditati vanitatis sæculi præsentis, quia illa valdè citò euanescit: ne ames mundum, quem citissimè vides transire. *Prou.10.* Dicit Sapiens: Instar tempestatis transeuntis transit mundus. tonitru magnum strepitum excitante conuertitur illa nubes in aquam, sed tempestate illa finita redit aura serena: Sic gloria in pompa huius mundi transit in momento.

Ama vitam æternam vnde nunquā incides in mortem; quod si diligis hanc vitam tot tribulationibus expositam, mul-

multo magis amare debes illam, quæ omnis quietis, & fœlicitatis est copiosissima. Peregrinus es in hoc seculo: itaq; totis viribus enitere, vt cœlum acquiras. Instar vmbræ transeunt omnia quæ hic videntur: Stultè egeris, si velis perire cum mundo perituro, potius quam florere cũ cœlesti mundo, in perpetuum floribus redundaturo. Labores quos perfers ad differendum mortem, impendere debes omninò, vt & cum detrimento vitæ præsentis acquiras vitam illam sempiternã.

CAPVT XV.

De inquietudine laboriosa mundanorum.

SEruietis ibi dijs alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem, dicit Deus. Qui seruit mundo inquietus incedit instar rotulæ horologij, continuis curis & distractionibus implicatus. Nihil quietis planè tibi mundus relinquet, si appetitibus tuis indulseris, amoris mundani ponderibus depressus, à propria voluntate dependentibus. Hęc tibi illas girat rotas, hæc te adeò discruciat. Hæc tibi omnem adimit quietem, *Hier.16.*

facitque vt verseris in perpetuo motu. Quid etenim molestius; quàm hominem subditum esse suis passionibus? Quis sibi quietem pollicebitur in rebus huius mundi, quæ perpetuæ motioni sunt subiectæ? Magna contentio fuit inter pastores Loth & Abrahami, cui occasionem præbuerunt diuitiæ, vt necesse fuerit eos à sese mutuo separari. Vna ex plagis, quas Deus immisit
Exod 8. Ægypto fuit muscarum, quæ animalia importunissima, licet subinde repulsa redeunt tamen: Sic etiam mundanæ cogitationes & curę nunquam relinquunt hominem quietum. Hanc plagam immittit Deus magnis & ambitiosis, curarum nimirum & variarum distractionum plenis, sicut Ægypto immisit mu-
Esai. 59. scarum copiam infinitam. Dicit Esaias de mundanis quod telas aranearum texuerint. Nam quemadmodum aranea ad capiendum muscas cum magno labore facit pertenuem telam, vt etiam seipsam euisceret: Sic etiam mundani seipsos exhauriunt & consumunt cum iactura propriæ suæ conscientiæ. Quid enim vtilitatis capiunt postquam cum tanto labore texuerint suas telas, vnde nihil reportant præter varias curas, ani-
mi

mi anguſtias & diſtractiones ? Si teipſam probè examinaueris inuenies te magis addictum fuiſſe mundo, quàm Ieſu Chriſto, ſed quid à mundo vtilitatis ſperas, niſi ingratitudinem & ſeruitutem intolerabilem ? Si ſapis itaque cura vt conſideres mundi laqueos & pericula, quibus cognitis tutior fias. Ne imiteris Iſraëlitas, qui potius malebant Pharaonis ſeruitutem tolerare, quàm frui terra promiſſionis. Ne quæſo ita à vero iudicio auerſus ſis, vt potius eligas in mundo ſubire perpetuam conſcientiæ perturbationem, quàm pacem habere cum Chriſto: Sed incede verſus cœleſtem illam Hieruſalem, liberam matrem noſtram, vbi inuenies quietem perpetuam. Fuge quantum potes hanc animæ inquietudinem, cùm ipſamet vita, quam degis in hoc mundo, requirat, vt eam relinquas: ipſemet mundus clamat, vt eam omnino deſeras. Ne imiteris filios Gad, qui voluntariè relinquebant terram promiſſionis propter montem Galaad, quem nimis ſtultè inhabitare volebant. Denique ne putes te inuenturum quietem eo in loco, vbi omnia plena ſunt confuſione, & alteratione, cùm etiam ipſi mundani ſe-

Num.21.

Gal.2.

Num.2.

ipsos nihilo magis intelligant, quàm ædificatores turris Babylonicæ.

CAPVT XVI.

Quomodo consolationes mundanæ plenæ sint amaritudinibus.

Iob. 9. NOn concedit requiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus, dicit Iob. Non poteris in mundo gaudere aliqua quiete perfecta, nec percipere verã lætitiam, vbi omnia plena sunt amaritudinibus & tristitia. Considera quæso, quanta molestia lateat sub apparenti quadam suauitate; quãta asperitas sub velamine dulcedinis. Cõsidera laborem & molestiam, quæ concomitatur culpam, dum vestiuntur vitia fimbrijs pretiosis, cùm per se sint valde vilia, virtus verò quamuis malè vestita, pulchra tamen sit & gratiosa. ne decipiat te suauitas bonorum huius mundi, cùm intus omnia plena sint amaritudine &
Matth. 17. dolore. Cõsidera quod ipsemet Christus in sua trãsfiguratione loqueretur de sua passione: vt intelligas quod prosperitas hui⁹ mũdi sit plena amaritudine. Si mũdus est tã amarus, quid homines facerẽt si esset dulcis? sed immiscuit Deus dolo-

res conſolationi mundanæ, vt quàm ciſſimè aſpiraremus ad futuram vitam. Aman admodum ſtudioſus honoris, lætus erat, eò quod inuitaretur à regina Heſter, ſed ſtatim contriſtatus eſt ob ignominiam, quam ei intulit Mardochæus. Dolor concomitatur omnem lætitiam mundanam, iiſq; qui viuunt in proſperitate, quiduis minimum cõuertitur in pœnam. Pręſentis perditionis ſignum eſt, cùm quis in tot anguſtijs poteſt viuere quietus: periculum incurrit infirmus, cui faſtidio eſt omnis bonus cibus, nec in ſtomachum ſuum recipit quidquam, præter nociua. Cùm Deus daret Iſraelitis manna de cœlo, murmurabant contra Moyſen, deſiderantes cibos viles Ægypti: omnis cibus eis nauſeam inferebat, inquit Propheta. Omnis conſolatio mũdana plena eſt amaritudine, vt meritò quis cum Dauide dicere poſſit: Anima mea renuit conſolari, qui conuerſus ad Deum ab eo cõſolationem accepit, iuxta ipſius dictũ: Memor fui Dei, & conſolatus ſum. An ignoras omnẽ conſolationẽ mundanam eſſe incertã ac ſimulatam, quæq; ſecum adferat infinitos dolores, quam etiã citò & ex improuiſo ſequitur mors? vt taceam quod ſcrupuli, qui con-

Heſt. 5.

Exod. 6.

Pſalm. 76.

ſequuntur peccata, impediant oēm lætitiam mundanam. Aperi oculos mentis tuæ, & conſidera, quid amiſeris dum amaueris mundum: compatiaris animæ tuæ, & vide quomodo mortui ſint nobiles Iſraël, cùm amiſerint ſplendorem gratiæ, & nobiles illæ virtutes fuerint vulneratæ, populus totus deſtructus eſt, & perijt meritum bonorum operum. Proinde cum nihil ſecuritatis ſit in reb. huius mundi, tu cum Dauide, omnibusq; bonis Deum ama, & æterna ſua bona, vt in præſenti vita lætus viuas, & poſt mortē æternam conſolationem accipias.

2. Reg. 1.

CAPVT XVII.

De cæcitate mundanorum.

Pſal. 37.

DEreliquit me virtus mea, & lumē oculorum meorum non eſt mecum. Cæcus es ſi non vides quàm infœliciter tecum agatur, quiſquis ſeruis mundo. Vt nec Cantherius equus, nec falco quietus contineri poteſt, niſi prius velentur eius oculi: Sic non video, quomodo hanc ſeruitutem tolerare queas, niſi oculi tibi planè ſint clauſi. Quomodo ita affixus eſſes rebus terrenis, ſi cogno-

noſceres vanitatem bonorum iſtorum corruptibiliũ? ſed quia cæcus es, ſeruus es: aperi oculos tuos quæſo, vt agnoſcas ſtatum tuum infœlicem. Cecidit ſtercus hirundinis ſuper oculos Tobiæ dormiẽtis, & remanſit cæcus. Apoſtolus vocat bona hæc terrena ſtercora. Cantat hirundo principio æſtatis, & ſubitò excæcatur; ita etiam mundus breui ſua harmonia excæcat hominem, & in ſoporem adigit, adeo vt profundiſſimè dormiat, dum vanitatibus huius mundi ita obtunditur, vt cæcum prorſus eſſe diceres. Carent oculis mundani, quibus videant lumen Dei, & bonum quod amittunt. ita ad vanitatem rerum mundanarum affecti ſunt, ſicuti Eli, qui non poterat videre lucernam Dei. Et quamuis videantur ſani & iudicio præditi, non ita tamen ſe res habet, niſi erga res huius ſæculi, alioqui in ijs quæ ad ſpiritum ſpectant tanquam talpæ ſub terra, planè ſunt cæci. Ne ex vno peccato in aliud impingas inſtar cæci. Dicit Sophonias, loquens de hominibus mundanis; & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt. Ambulate in die dicit Dominus, ne tenebræ vos comprehendant. Cùm etenim peccatores

Tob. 2.

Philip. 3.

Sophon. 1.

Ioan. 10.

ambulent in tenebris ignorantiæ ſuæ, non mirum ſi ſubinde miſerè impingant. Mundanorum oculi capiuntur facilè imaginarijs quibuſdam ſuis emolumentis & affectibus erga mundum, & excæcantur non ſecus atque Ægyptij, quibus Deus tantam cæcitatem intulit, vt per tres dies nemo fratrem ſuum videre poſſet, nec moueret vel vnum pedem ex loco, in quo erat. O ſi poſſes videre miſeriam tuam, non ita more illorum Ægyptiorum in ocio vitam traduceres. Sed cæcitas te apprehendit, excæcatus es amore vani ſplendoris rerum mundanarum inſtar, vrſi, qui excæcatus eſt ad aſpectum peluis candentis. Niſi mūdus eſſet cæcus, non dixiſſet. S. Ioan. quod mundus non cognouerit Chriſtū, nec mirum cùm oculi eius luto pleni eſſent. Ibant, nimirum mundani, extra vias, tanq̃ cæci, dicit propheta Hieremias, & ita quidem cæci, vt paterentur ſeſe duci ab ipſis cæcis ad exemplum malorum. Cæci ſaltem cognoſcunt ſe eſſe cæcos, ſed mundani maximè ſunt cæci, dum rident eos, qui vident, iuxta illud Sapientis: Impij fugiunt eos, qui ambulant per vias rectas. Dicebat Dominus peccatoribus, quia dicitis vos videre, cùm ſitis cæ-

Exod.10. *Ioan.1.* *Thren.4.*

ci,

ci, manet vestrum peccatum, & cùm sint *Ioan. 9.*
adeò cæci, vt putent alios non videre, magis peccāt exemplo illorum septuaginta Prophetarum, de quibus apud Ezechielem. Caue igitur tibi ab huiusmodi cæcitate, nisi velis incidere in absurdos & intolerabiles quosdam errores. *Ezech. 8.*

CAPVT XVIII.

De dolore mundanorum in separatione sui à mundo

LAbor stultorum affliget eos, dicit *Eccle. 10.*
Sapiens. Cùm mors ingruit, exitus homini mundano erit valdè molestus, quia non potest relinqui sine magno dolore id quod amatur. cum magnò labore acquirit mundus id quod amat, cum timore possidet, & cum dolore relinquit. Scribitur in Apocalypsi, *Apoc. 1.*
quod adorantes bestiam, non habuerint quietem, tales etiam sunt, qui adórant bestiales suos appetitus. Terribilis erit illa hora, quando corpus hominis mundani educatum in delicijs, separabitur ab anima, vt breui comedatur à vermibus. Molestum erit tunc separari à diuitijs & honoribus, quibus inordinatè ad-

adhæſeris. Equi onuſti pannis pretioſis habent multos in comitatu, ſed vbi peruenerint ad hoſpitium, ablatis auro, argento, alijsq; ornamentis, nihil aliud ipſis remanet, quàm vulnera, liuores, & defatigationes. Diues & potens in hoc mundo à multis laudatur, vbi verò venerit ad mortem, priuatur honoribus, nec quicquam aliud reportat, quàm vulnera, vitia, & peccata ſimul cum oneribus: Sic nec Principes aut Reges hinc aurum vel argentum auferent, ſed tantùm defectus, quos commiſerunt in ſuo officio. Conſidera itaque, quàm erit moleſtum mundano diſcedere ex hac vita, quam amat. Tu ita prius relinque mundum, quàm te relinquat, alioqui in exitu crudeliter te affliget. Cùm Iſraelitæ vellent exire Ægyptum, Pharao princeps Ægypti adauxit ipſis onera & tributa cum magna inhumanitate. Laborioſum eſt ſeruire mundo, ſed magis moleſtum, cùm te deſeret. malum eſt eius ſufferre honorem, peius eſt relinquere cum morte: Optimum contemnere in vita. Nihil ex regno huius mundi poteris transferre ad regnum cœleſte. vide ne cadas in ſatellites aut vigiles, & quia diuitiæ ſunt inter bona prohibita, incidas in

Exod. 1. [margin note beside "Ægypti adauxit"]

in pœnam à rege gloriæ indictam. Væ potentibus sæculi in tam stricto transitu, quo ipsorum vita rigorosè examinabitur, & spoliandi sunt omnibus suis facultatibus. dicit Iob: Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent, & humiliabuntur sicut omnia, & auferentur, & sicut humiditates spicarum conterentur, cùm mors venerit. Granum verò, quod significat hominem bonum, seruabitur integrum in granario, palea verò excussa & minuatim contrita proijcietur in fornacem inferni. Ne itaque in morte talem calamitatem exspectes: ab omni affectu mundano te expolia, & liberaberis ab omni huiusmodi anxietate, & molestia. *Iob 24.*

CAPVT XIX.

De mercede, quam mundus dat seruis suis.

REddebant malum pro bono sterilitatem animæ meæ, dicit Psalmista. Adeò miserum est seruire mundo tam ignoranti & ingrato. Nisi reputaueris mundũ malum, non es aptus ad eundũ *Psalm. 34.*

versus Christum: Propterea non vocat Christus eos, qui putant iugum mundi esse suaue, sed eos qui arbitrantur illud esse graue & molestum. Post breuem aliquam voluptatem mundus confert molestias intolerabiles, sed Deus post exiguos labores confert gaudium perpetuum. Sancta Maria Magdalena desolata, confugit ad Christum in domum Pharisæi, & promeruit veniam: Iudas verò desperans, confugit ad homines, & laqueo vitam sibi finiuit, conciditque in Infernum, vt meritò illa mulier pœnitens prudentia summa fuerit vsa. Iudas verò in sua desperata stultitia se planè perdiderit. Nonne igitur melius fuerit tibi, si seruias Deo, & postea perfruaris æternis illis bonis, quàm si seruias mundo corruptibili, & in æternum postea affligaris in Inferno? Melius est in hac vita carere breuibus delectationibus, quàm vnà cum illis ire ad Infernum: melius est viuere in obedientia Dei, quàm malè viuendo seruire mundo, qui cùm te illaqueat bonis quibusdam falsis, in æternum te perire cupit. O quantum rideberis in rigoroso illo transitu mortis, cùm omnia conuertẽtur in fimum, in quibus fiduciam tuam

Luc. 7.

Matt. 27.

tuam temerè posueras. Respice quæso præclarum præmium, quod mundus, dæmon & caro tibi promittunt, tale nimirum propter quod amissurus es gloriam cœlestem. A carne quid aliud consequeris, quàm corruptionem? inquit Apostolus. Diabolus verò nihil aliud tibi conferet præter tormenta; mundus verò citò obliuiscitur suorum. Promittunt multum hi tyranni, at parum præstant. Nemo vnquam seruiuit mundo, qui de eo non lamentaretur: vult sibi cõtinua seruitia impendi, quibus nihil relinquit præter famem & verbera, eosque nudos eijcit ex ædibus. Breuiter, nihil à mundo præmij reportabis, nisi dolores & angustias. Qui sapit, primùm deberet pacisci cum aliquo, antequam se committat eius seruitio, cum talibus verò tyrannis nullum ineundum est pactum, quia multa promittunt, sed parũ præstant. Sed si seruies Christo, inter tribulationes fruêris æternis consolationibus, & suauissimis refrigerijs. Breuis est vita hominis, labores Sanctorum iam transierunt, dolores verò mundanorum semper durabunt. Melius tibi fuerit ex obedientia hic ire ad ignem, quàm post consolationem mundanam in æternum damnari. *Ad Gal. 6.*

damnari. Ne expauescas à laboribus, qui finiuntur simul cum vita, sed eos time, qui incipiunt cum morte, nec vnquam finientur. Amici nō eripient te à pœnis, deniq; nullæ diuitiæ aut fauores mundani poterunt te iuuare. Mundus finitur, sed Deus in æternum durat. Ne fidē adhibeas mundo, quia est veluti carnifex quidam, qui per viam quandā viridem aut floridam falsarum suarum consolationum quàm citissimè detrudet te ad supplicium æternum. Videsne malam mercedem pro tam duro seruitio?

CAPVT XX.

Quam citò mundus suos à se repellat.

Psalm.36. VIdi impium superexaltatum sicut cedrum Libani, & transiui, & ecce nō erat. Exaltat mūdus suos, eosque suarum voluptatū vel minimum gustum percipientes deserit. Hoc facilè cog-
Baruch.3. noscebat Propheta Baruch, cùm clamās diceret: Vbi sunt principes gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? qui in auibus cœli ludunt, qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis ac-

acquiſitionis eorum? exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt, & alij loco eorum exurrexerunt. Valdè citò ipſis tranſijt gloria mundi, inſtar puncti. Quid conferunt mundi honores, niſi mortem miſerrimam & infamem ruinam. Citò tranſit gloria mundi, & bona eius ſunt tanquam flores citò cadentes, quibus parum confidendum, cùm citius te relinquãt, quam exiſtimare queas. Vide ne ex loco humili, tanquam à carnifice tractus, eleuêris in faſtigium patibuli, vnde detruſus cadas præceps. an non vides quomodo mundus exaltet ſuos, multiſque tandem vitijs illaqueatos præcipitet? Magna illa Babyloniæ meretrix Apocalypſeos gloriabatur in proſperitate huius mundi, ſed cùm maximè putaret ſe ſecuram, irruit ſuper eam mors, planctus, & infernus. Diues auarus (de quo S. Lucas) multum gloriabatur in diuitijs; ſed ſtatim audiuit, ſtulte, hac nocte repetam à te animam tuam, & quæ paraſti, cuius erunt? Fuit populus Iſrael diſperſus ad quærendum paleas (ſic omnes quærunt diuitias, omnes obediunt pecunijs, nec ibi volunt admittere ſocium) & poſtquam quæſiuiſſent ſatis diu, acceperunt plagas, vt intelligas hu-

Apoc. 17. *Luc. 12.* *Exod. 5.*

huiusmodi vanitates obnoxias esse molestijs in seruando, & tandem suos dominos deijcere, tanquam paleas in profundum inferni. Laborabant Israelitæ afflicti in Ægypto, & in fine laborum rursus percutiebantur: Sic tu inquietus viuis, offendens Deum, ibi verò longè infelicior eris. Malitia est suijpsius pœna. Mala etenim conscientia, quamuis aliquando est quieta, nunquam tamen est secura. Cùm itaque tam citò mundus relinquat suos, & deserat, tu si eum ante reliqueris laudem non paruam promereberis.

CAPVT XXI.

Quomodo amor mundi portas claudat Deo.

Apoc. 2. ECCE sto ad ostium & pulso, dicit Dominus, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Hinc elucescit, quod Deus inuitet peccatorem, cùm pulset ostium animæ eius, quòd si non aperiat, valdè ingratus est erga Dominum cor eius, pulsantem & rogantem, vt illi aperiat portas consensus voluntatis suæ. Si indecorum tibi fuerit, vt amicus nimis diu co-
ga-

gatur ſtare ad portam, dignus es profectò magna pœna, ſi relinquas Dominũ Deum foris ſtantem, nec præbeas ipſi ingreſſum in animam tuam. Loquitur Deus cum conditione: Si aliquis mihi aperuerit, mediante libero arbitrio, conſentiendo aut non conſentiendo. Si velit intrare, hoc tantum facit ad vtilitatem tuam, dum vult tecũ cœnare, & quieſcere, ipſemet adfert cibum, quo tu ipſe veſcaris. Non facit Deus per modum venatoris pauperis, qui allicit perdicem ſibi in cibum futurã, quod eſt dæmoni proprium, qui in paradyſo inuitabat hominem ad comedendum de fructu vetito, vt inde eijceretur. Sicut dicit Hiere. Venatione cœperunt me, quaſi auem inimici mei gratis. *Thren. 3.* Quid enim aliud ſunt voluptates mundanæ & honorum copia, niſi eſca per dęmones ſparſa, ad te ineſcandum & illaqueandum. Cùm mundus blanditur, tunc venatur, niſi tibi probè caueris, inſidijs eius facilè inuolueris. Per contrarium, Deus cùm nos inuitat, ſolam noſtrã vtilitatem quærit. Et quamuis eius vocatio ſit valdè ſuauis & benigna, non auditur tamen, quia mundi amor illi portas præcludit. Et cùm ingens ſit rumor & ſtrepitus in anima peccato-

ris

ris, non mirum si non audiatur pulsus Domini Dei. Clamor verò spiritualis est desiderium animæ, & ipsius ex totis vi-
Exod.14. ribus petitio. Orabat Moyses, & quamuis non moueret labia, interrogatus fuit à
1.Reg.1. Deo cur clamaret. Anna Samuelis Prophetæ mater cùm oraret in templo, non aperiebat os suum, magno tamen desideriorum clamore perstrepebat coram
Psal.9. Deo. Desideriũ pauperis exaudiuit Dominus, & præparationem cordis eorum exaudiuit auris tua; dicit Psalmista. Magnæ sunt voces & clamores inter aures adhærentium rebus huius sæculi, desideria honorum non desistunt à clamore: non mirum si Deus non audiatur in domo tot cupiditatibus plena & oppressa, quæ nunquam possunt satiari, iuxta illud Ouidij: Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Nunquam etenim auaritiæ sitis expletur. Si deniq; vis audire foris clamantem, cura vt domi seruetur silentium, ne nimium indulgeas affectibus tuis, resigna tuam voluntatem, & serua silentium, vt audias Dominum clamantem. Sis contentus ijs quæ possides, considera breuitatem vitæ presentis, paupertatem & humilitatem Christi Iesu, & compesce inordinata desideria tua, vt

aliquando audias suauem Iesu Christi vocem & inspirationem. Aufer abs te omnem sollicitudinem huius mundi, & sic poteris dicere Deo cum Iob; vocabis me,& ego respondebo tibi. *Iob.15.*

CAPVT XXII.

Quomodo mundus persequitur bonos.

SI de mundo fuissetis, mundus quod suū erat diligeret: quia verò de mundo nō estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus, dicit Dominus. *Ioan.15.* Nō est nouum, quòd mali persequantur bonos, & homines mundani seruos Christi: sic Cain persequebatur Abelem. *Gen.4.27.* Ismael Isaac, Esau Iacobum, *& 37.* Iosephum fratres, Fenenna Annam, *1.Reg.1.* Saul Dauidem, Iezabel Heliam. *1.Reg.18.* *3.Reg.19.* Quia cùm vita bonorum sit tacita quædā reprehēsio morum malorum hominum, non mirum, si mali persequantur bonos dicit Iob, quod Sancti in hac vita sint *Iob.3.* veluti filij abortiui, qui simulatque nati sunt, sepeliuntur, ne implicent se rebus mundanis, sed mali sunt viui filij ipsius mundi, ac ita administrant res mundi. Latrones noctu furtum machinantes,

pri-

primùm extinguunt lumen, ne videantur: ſic mali perſequuntur famam bonorum, qui inſtar candelæ fulgent in mundo; qui malè agit odit lucem. In ſpiritu ſaltabat Dauid coram archa Domini, & ſubitò irriſus fuit à Michol, quia mali ſolent irridere opera bonorum. Populus terræ impediebat populum Iuda in ædificio templi: ſic mundani ſolent perſequi iuſtos, qui ædificant ſanctam ciuitatem Hieruſalem; ſed boni Iſrahelitæ vna manu ædificabant, altera verò defendebant ſeſe contra inimicos ſuos. Quod te quoque facere decet, non deſerendo, ſed proſequendo opus incœptum, & virtutum exercitium. Defende teipſum in patientia contra aduerſarios tuos. Signum eſt, quod non ſis bonus, niſi æquanimiter feras malum, cùm alioquin hæc patientia non cedat tibi ad confuſionem, ſed ad ſingularem honorem. Et vt ignominiæ tibi foret laudari vel extolli à malis, ſic honori fuerit vituperari à malis. Cùm à malis vita noſtra reprobatur, tūc demū probatur: illa vita probatur, quam mali reprobant. Non eſt culpa luminis, ſi diſplicet noctuis & veſpertilionibus, quod dum fugiunt laudant. Vos eſtis filij lucis, dicit Apoſt. bonis, quid luci cum tene-

Ioan. 5.
2. Reg. 3.
1. Eſd. 4.
1. Theſſ. 5.

tenebris? Sapientia ignorātibus est odiosa, & sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Quare non debent tristari filij lucis, si persequantur eos filij tenebrarum. Si cęci malè iudicant, culpa ipsis imputanda non pulchritudini colorum. Laudari à malis est vituperari: & ab illis vituperari est laudari: Quare signum est magnanimi despicere iniurias. Dicit Salomon: Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium: virtus marcescit, dum caret aduersario, visne omnium ora claudere? & si omnes canes latrent, non possūt tamen impedire, quin simus rationis capaces, bestiæ verò manēt semper bestiæ. Quod si mundani proficiunt in te persequendo, tu proficias in patiendo. Hęc est illa sapientia, quam discere debes in schola Iesu Christi. Dicit Ecclesiasticus, contra malum bonum est, & cōtra mortem vita: sic & contra virum iustum peccator: & cùm mundani semper persequantur seruos Iesu Christi, vince tacendo, & paries tibi coronam perpetuam.

2. Cor. 6. *Prou. 1.* *Prou. 16.* *Eccl. 33.*

CA-

CAPVT XXIII.

De patientia in aduersitatibus.

Daniel. 12. *Rom. 12.* MIhi vindictam, & ego retribuam dicit Dominus. Si vlcisceris te offendentem; non reperiet Dominus quod castiget; sed abstinere à vindicta, hoc demum est vlcisci inimicum. Si tacueris, Deus loquetur; quod si tu loquaris, Deus tacebit.. Magis honoraberis si Deus pro te loquatur, quã si tu respondeas. *Luc. 7.* Tacebat gloriosa illa Magdalena cũ à Pharisæo vituperaretur, habuitq; Dominũ pro aduocato, & prædicatore suorum operum. plus honoris acquiris tacendo, quàm respondendo. *Rom. 12.* Ne reddas malum pro malo, sed vince in bono malum. Quanto patientior fueris, tanto sapientior, & quanto impatientior, tanto stultior. Vidua est virtus quæ caret patientia: patientia est virtus conseruatiua. Gaudet asperis rebus patientia. Hominis iusti & boni signum est excipere bono animo tribulationes: verus amor figitur in profundo virtutis, & probatur in aduersitatibus. qui patiens est, vincit seipsum. Si considerares quanto amore Deus immittat tribulationes, reciperes

eas cum magna gratiarum actione. Aduersitates sunt dona gratissima, quę mãdantur à Deo suis amicis familiaribus ad ornamentum animæ eorum. Infirmus qui est impatiens efficit medicum crudelẽ. Si verò propter amaritudinem medicinę indignaris, tormentum tuum auges, cùm non possit displicere, quod cum amore sumitur. Maxima discretionis pars est patientia: Et tamen mirum est, quod potius velis manere sine Deo, quàm aliquid pati. si quæris sanitatem ne excutias nouaculum è manibus Chyrurgi, aut tonsoris. Ne fugias infirmitates & tribulationes, quæ conducunt ad salutem animæ: admitte aduersitates, si modò velis sanari. An nondum legisti, quòd Christus & Apostoli eius nauigarint vento contrario? *Matth.5.* Contrarium maledictionis est benedictio, & contrarium odij est amor. Si verò offendis eũ, qui te offendit, nõ nauigas vento contrario. benedicas maledicenti tibi, dilige eũ, qui odit te, & peruenies ad cęlum. dicit Apost. *Rom.12.* Benedicite persequentibus vos, benedicite & nolite maledicere, & alibi dicit Apost. *1.Cor.5.* Maledicimur, & benedicimus: persecutionẽ patimur, & sustinemus. Nauiga *Matth.6.* vẽto cõtrario, sicut Dominus nauigabat

in

in naue crucis, rogans pro inimicis ſuis, & benefaciens perſecutoribus ſuis. Mali etiam multas perſecutiones patiuntur & infirmitates, quia vult Deus vt incipiant ſentire tormenta, quæ patientur in altera vita. Si vides aliquem ob aduerſitatem immiſſam grauiter offendi, ſignum eſt, quod hæc tribulatio ipſi ſit ad damnationem. Sed ſi ob eam Deo gratias agit, ſcias, quòd ob eam defectus ipſius expurgentur, & corona ipſi augebitur. Sis patiens in aduerſitatibus, eriſque de numero electorum. Sacrificium acceptiſſimum Deo eſt patientia in tribulationibus & aduerſitatibus: ſis itaque patiens, ſi hodie triſtis es, cras lætaberis; ſi hodie turbaris, cras conſolaberis. Iram coërce, & frænum linguæ tuæ pone. Ne nimium ægrè feras aduerſitates, nec in parua aqua ſubmergas bona tua opera, veluti ieiunia, eleemoſynas, aliaſque pœnitentias, per laudes humanas, quibus amittis magnam partem meriti. Patientia verò eſt theſaurus abſconditus: in patientia dominatur ſilentium, in impatientia verò tumultus verborum. Si fueris patiens, omnibus eris admirationi. Quantò magis cor tuum ſacrificaueris Deo, tantò magis ipſi acceptus eris, patiaris

tiaris

tiaris igitur, tempus omnibus rebus adfert remedium. Esto denique fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *Apoc. 2.*

CAPVT XXIIII.

De fugiendo mundo.

FVgite de medio Babylonis, dicit Deus. Plenus est mundus confusione, vbi nō est ordo, sed sempiternus horror. Pluris fit aurum, quàm virtus. bona transitoria præferuntur bonis spiritualibus & veris: adeò plenus est mundus confusione, vt exaltet malos, & deijciat bonos. Saluator noster secum duxit tres ex suis Apostolis præ cæteris perfectiores ad montem Thabor, vt transfiguraretur coram eis: Mundus verò extollit Iudam ad altiorem statum, humiliando bonos. Esaias cùm loqueretur de malis Babyloniæ, dixit, quod Arabes ibi non collocaturi essent sua tentoria, quia si quis consideret confusionem & inordinationem mundi, fugiet eum. Cùm infirmus non sanatur in vno loco mutatur ad alium. Valdè infirmus est hic mūdus, & saluti tuę minus tutus, nunquam satiaberis, quàm diu cum eo conuersa-

Hier. 51.

Luc. 2.

Esaiæ 13.

beris, sed si eum reliqueris, vitam acquires. Fuge illum si vis euadere mortem. Separa te à rumore huius mundi, si vis
4.Reg.2. viuere lætus. Voluptates & consolationes mundi sunt amariores aquis Hiericho, & mutabiles instar lunæ. Non bibes in terra aquam tam malam, non facies
Gen.11. fructum in terra tam sterili & arida. Aspiciebat Abraham Zodomam, & vidit exilientem è terra ignem & fumum, tanquam ex fornace ardente. Quid porrò est in mundo, nisi superbia, vanitas, & volũtatum inordinatarum ignis? Bene facit, qui relictis rebus terrenis, & omnibus peccandi occasionibus, latere nouit procul à negotijs & periculis huius mundi. Prudens est ille qui cùm sciat se deserendum esse à mundo, prius eum deserit, quàm deseratur ab eo; & cùm mundus soleat suos in necessitate deserere, tu potius illum quàm primum relinquere stu-
Gen.21. de. Cùm Isaac nasceretur, Abraham non celebrabat magnum festum, sed quãdo eum vidit ablactatum fecit magnũ conuiuium, nec mirum: cùm ex sola natiuitate nihil certi colligi potest, sed quando infans separatur à lacte, similibusq; dulciarijs, tũc festa celebrare licet. fuge mundum, & inuenies thesaurum in agro ab-
scon-

ſconditum. Qui eruit theſaurum, elongat ſeſe ab hominibus, & diligẽter illum cuſtodit & excolit; Sic quantò magis ſancti appropinquabãt morti, tantò diligentiores erant. Qui comedebant agnum paſchalẽ, primùm ſe circuncidebant, quod ſi non circuncideris abs te amorem huius ſæculi, & expoliaueris cor tuum omni illius deſiderio, non guſtabis cibum ſpiritualem animæ. Si eſſet tibi granum in humidiori loco reconditum, ac ideò periturum, nónne ad illud ſeruandũ reponeres in locum altiorem? admonet te Dominus, quod ſi conſumpſeris cor tuum in rebus huius mũdi, vt illud erigas in cœlum: hoc modo ſi feceris, in perpetuum viues in terra viuentium. *Exod. 12.*

CAPVT XXV.

De mutatione mundi.

COmmouiſti terram, & conturbaſti eam, ſana contritionem eius, quoniam commota eſt. Sola mutatio, quam mundus ſemper facit, ſufficeret, ad ſuijpſius deſtructionem. Si te architectus admoneret de ruina domus quã inhabitas, nónne ſtatim eam exires? *Pſal. 59.*

Ioan.2. Deus artifex ſupremus, dicit cœlum ac terram tranſiturum. S. Ioan. dicit: Tranſit mundus & concupiſcentia eius. Tres verò columnæ, quibus mundus innititur, ſunt Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorũ, & ſuperbia vitæ. nonne vides, quomodo iſtæ columnæ tremant, quibus mũdus innititur? Et tu firmus ſtas, necdum fugis? Honores & vanitates cadunt, ac omni momento mouentur. Conſidera, quanta ſit mutatio. Incœpit mundi monarchia ab Aſſyrijs, inde ad Perſas, ab illis ad Græcos, illinc ad Romanos, inde ad Gallos, tandem verò ad Allemannos peruenit. Si itaq; imperium toties mutatum fuit, quid quæſo in hoc mundo firmum ac ſtabile inuenies? Mutabiles ſunt diuitiæ, ſenſualitas, aliaque huiuſmodi, & citò tranſeunt. Si itaque ipſæmet columnæ mundi ita tremunt, nónne periculoſum eſt viuere in mundo adeò mutabili & cõtinuo motui ſubiecto? fuge igitur niſi velis cadat ſuper te, & occidat. Quod ſi mundus, qui ita ruinam minatur, adhuc amatur, quid foret ſi eſſet ſtabilis, ac firmus? quomodo cũ fugeres, ſi pulcher eſſet, cùm eum adeò deformem amplecteris? Quomodo non colligeres eius flores, ſi manibus

attre-

attrectas eius ſpinas? Non vis relinquere mundum, imò te relinquentem ſectaris quod eſt abſurdũ. Ne hic expectes quietem, vbi nec momentum eſt quietis, ne ames rem mobilem, dum vis haberi immobilis. Nauigans velit nolit mouetur vnà cum naue. nihil in hoc mundo ſtabile : quid igitur ſolatij in rebus huius mundi? Dei propriũ nomen eſt ESSE. Qui eſt miſit me, inquit Moſes, loquens de Deo; ille eſt, ſed homo omninò mutabilis eſt, cui nihil tam alienum quàm eſſe, nec eſt qui cum eo commercium habere velit, idem cenſendum de mundo, cuius amicitiam non eſt quod magni facias. Ama ea quæ ſunt & durant, non verò ea quæ mutationis ratione ad nihilum declinant, Periculoſum eſt viuere in locis terræ motui ſubiectis. ne itaque ædifices in locis ruinoſis, ſed firmis ac ſolidis, vbi viuere poſſis ſecurus. Tota tua cura circa id verſetur, vt ædifices cœlum, vbi eſt ſecuritas pleniſſima. Ventus adulationis, qui includitur in viſcerib. terrę, in aulis & palatijs principum, & vult erumpere in honores & dignitates, eſt cauſa terræ motus mundi. Ne habites in palatijs regum & principum, in quibus nõ deſunt venti reconditi, qui detegunt am- *Exod. 3.*

bitionem & hypocrisim, & pariunt multas perturbationes in republica. Quotidie offendes in mundo nouitates: quotidie nunc ex diuitibus pauperes, & ex pauperibus diuites fiunt, si iam arrridet fortuna, cras mutabitur & indignabitur. Surgit sol mane cum splendore, & paulò post ecce nebula & tempestas: vt intelligas nihil esse stabile in hoc mundo, vbi inter voluptates in promptu sunt dolores. Nónne Christus cum summa lætitia excipiebatur à Iudæis, & paulò pòst deserebatur? Occurrebant Christo Iudæi viridibus ramis, & post quatuor dies siccis ramis flagellabant eius corpus. paulò ante vestibus sternebant humum qua transiturus erat: postea verò ipsum proprijs vestibus spoliabāt ad flagellandum & crucifigendum. ante dicebant; Benedictus qui venit in nomine Domini, & paulò pòst incitabant Pilatum, vt eū crucifigeret, & per quam portam ingressus fuerat cum honore, postea exire coactus est cum magna ignominia, nondum vides, nondum vides subitaneam hanc mutationem, cui subiecti sunt honores mundi? Si nunc rides, expecta, paulò pòst flebis. Totam itaque tuam fiduciam in Deo repone, qui firmus ac verus est

Matth.21.
Ioan.9.
Matth.27.

est amicus. fuge mundum, tanquam instabilem, ac omninò mutabilem.

CAPVT XXVI.

Quomodo nobis fugienda sunt mala mundi, quamuis essent exigua.

QVasi à facie colubri fuge peccatũ, dicit Deus: adeò nocet conscientiæ amicitia mundi, vt nec in re parui momenti debeas te ipsi conformare. Omne quod est in mundo plenum est vitijs & peccatis, quæ licet essent parua, adhuc tamen sunt fugienda. Assimulat Ecclesiasticus malitiam peccati serpenti, quem licet exiguum, homines tamen fugiunt. Dicit Esaias: de radice colubri egredietur regulus, quando nostrũ peccatum magnum oritur ex paruo: nisi tibi caueris à peccatis minoribus incides in maiora. Nisi fugeris serpẽtem, incides in regulum siue Basiliscũ. Si in naui non clauseris paruam rimam, qua intrat parum aquæ, paulatim ingredietur tantũ, quæ obruat totam nauem. Et parua inconuenientia fugienda sunt, ne sequantur maiora pericula. Fuge mundum *Esaiæ 14.*

cum ijs omnibus quæ ipſi ſunt quouis modo coniuncta, fuge conuerſationem eius, quantumuis non coniunctam peccato, ne poſtea dilabaris in peccatum. Separes te à commercijs eius non neceſſarijs, à nugis & otioſitatibus, ne amittas deuotionem, & incidas in maiora incōmoda, quæ licet videantur parua, multiplicata tamen te ſubuertere poſſent. Occide inimicum dum paruus eſt, ne te poſtea cùm excreuerit occidat.

Gen. 4. Officium ſapientis eſt timere inimicum quamuis paruum. Exemplum ſume à Caino, qui cùm non euitaret animi ægritudinem de bono fratris cōceptam, adiunxit inuidiæ homicidium, deinde hæreſim, credens Deum ignorare ipſius peccatum, tandem cecidit in deſperatio-
Pſalm. 41. nem. Ita abyſſus abyſſum inuocat, vnūque peccatum facilè ſecum trahit aliud quoddam maius. Ne vel in minimo ſis negligens. Sis ſollicitus & vigilās in mundo hoc periculoſo: Incauti etenim facilè ſuperantur. Ab omni conſuetudine mala mundi fugere te oportet, tanquam à peſte, quia imminet mors, quæ ingredietur ſi oſtium aperueris eius legato. V-
Exodi 8. na ex plagis Ægypti fuit Cyniphū, quæ appetunt ſanguinē, quam plagam commu-

munem ſecutæ ſunt muſcæ immanes, quæ crudeliter tractabant Ægyptios, ita minori tentationi ſuccedit maior. Dicit Eccleſiaſticus: Qui ſpernit modica paula- Eccl.19.
tim decidet, immò quantò ea iudicas minora, tanto ſunt maiora. Audi quid dicat Apoſt. Paulus: Neq; idololatræ effi- 1.Cor.10.
ciamini ſicut quidam ex ipſis, quemadmodum ſcriptum eſt, ſedit populus mãducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Fuge deniq; quicquid te videatur pertrahere ad malam viam, nimirum perditionis, & huius dicti memor eſto, quod qui contemnit inimicum, facilè ab eo occiditur.

CAPVT XXVII.

Quod fugiendæ ſint conuerſationes mundanorum.

QVI tetigerit picem inquinabitur Eccl.13.
ab ea, & qui communicat ſuperbo induet ſuperbiã, dicit Sapiens: Nec mirum ſi ex nimia conuerſatione cum malis, oriantur mali mores. Fuge à ſocietate malorũ, ſi vis ſeruire Ieſu Chriſto. multi ſunt miniſtri dæmonis, quos emiſit ad venandum iuſtos. Mali ſuis malis exemplis plus damni adferunt,

quàm latrones & homicidæ: Latrones enim ſpoliãt hominem bonis corporis, mali verò bonis animæ, id eſt, bonis moribus. Quanto anima eſt nobilior corpore, tanto peſtilentiores ſunt, qui malis moribus, quàm qui peſte infecti ſunt. Fugienda eſt conuerſatio malorum tanquam peſtis: dum enim quis videt fieri malum, facilè illud imitatur. Præcepit

Exodi 34. Deus Iſraelitis, ne matrimonia inirent cum gentibus, ne diſcerent malos mores.

Gen. 6. Filij Seth dum conuerſarentur cum Caynistis, facti ſunt etiam mali, vt meritò conſecutum ſit diluuium. Prophe-

3. Reg. 13. ta ſanctus, quem miſit Deus in Samariam, fuit occiſus in via à leone, quia comederat cum Pſeudopropheta. Ioſaphat

3. Reg. 22. Rex Iudeæ, cùm eſſet bonus, parum abfuit, quin occideretur in ſocietate Achab regis mali, vnde meritò fuit repræhenſus: quia vitia facilius diſcuntur quàm virtutes. Hebræorum populus à Deo electus, quia conuerſabatur cum genti-

Esaiæ 1. libus, fuit repræhenſus ab Eſaia: Vinum, inquit, tuum mixtum eſt aqua: vinum autem mixtum aquę amittit ſuam vim: ſic bonus per conuerſationem malorum perdit virtutem ſuam, & omnem deuotionis feruorem, vel ſaltem frigeſcit in

ſer-

seruitio Dei, non sine ingenti suo damno, & perdit bonam omnem existimationem. Et sicut vinum dilutum perdit colorē, etiam si fortè nō amiserit omnem vini virtutem, ita facilè amittes bonum opinionis colorem, si conuerseris cum malis, quia talis reputatur homo qualis est is cum quo versatur. Si vis nosse hominem, attende cum quibus contraxit amicitiam, quia omne animal amat sibi simile. Quare Eliu admiratus fuit *Iob.31.*
Iob, quod cum malis conuersaretur, non tamen fieret malus: nam in eo hoc fuit singulare, cùm bonum esse inter malos, est quasi natare contra torrentem. valdè difficile est viuere innocenter inter malos. Nónne angelus extraxit *Gen.19.*
Lothum ex Sodoma, ne periret cum malis? Et sanctus Paulus mirabatur Philip- *Philip.2.*
penses, quod inter gentes bene viuerent.
Ecclesia laudatur, quæ floret sicut lilium *Cant.2.*
inter spinas, quod est valdè difficile, vt lilium tenerum & delicatum maneat integrum inter spinas acutas & penetrantes. Dicit Deus Israeli: Increduli & sub- *Ezech.2.*
uersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.

Si igitur tam difficile est bene viuere inter malos, sequitur rem magni peri-

culi esse, inire cum illis amicitiam. si vis proinde saluare animā tuam, fuge cum Loth à maledictione Sodomæ, id est mundi, & ab omnibus eius habitatoribus, vt salueris in altitudine montis, conuersando cum seruis Iesu Christi.

CAPVT XXVIII.

Quod debeamus versari cum bonis.

Psalm.17. CVm sancto sanctus eris, & cum innocente innocens eris, dicit regius Propheta. Si cum bonis conuerseris, nescies quomodo & quantum proficias, sed tandem te profecisse comperies. Saul dum versaretur cum Prophetis incepit prophetare. S. Petrus cum bonis, sanctis Apostolis nimirum, confitebatur Dominum tanquam DEI filium quem postea negauit in domo Cayphæ, cùm adiungeret se ad ignem malis. Carbones mortui positi inter viuos facilè reuiuiscunt: accede & tu ad titionem virtutis accensum, & relinques vitium. Bene accidit Labani, quod haberet in ædibus suis Iacob, qui ei dicebat, modicum habuisti antequā venissem ad te, & nunc diues effectus es, benedixitq; tibi Deus

1.Reg.10. *Matth.16.* *Matth.26.* *Gen.30.*

ad introitum meum. Benedixit Deus & multiplicauit domum Ægypti propter Ioseph. Propter Iosaphat Deus per Elisæum effudit pluuiam super exercitum malorum regum, qui erant in ipsius societate. Plura inueniuntur in scripturis exempla, quibus docetur, quod malis prosit cõsuetudo bonorum. S. Thomas, quia separauit se a reliquis Apostolis, nõ vidit Christum resuscitatum. Rursus cùm adesset discipulis fidelibus, factus est fidelis. Spiritus S. descendit in die Pentecostes ad locum vbi discipuli erant pariter congregati. si adfueris bonis, vnà cum ijs recipies Spiritũ sanctum, qui salutaribus suis admonitionibus te abstrahet à malis operibus, & hortabitur ad bene operandum. Et cùm colloquia mala corrumpãt bonos mores, vide bene quibuscum verseris. Ad salutem corporis multum confert bonus aër, & situs debitus loci, sic si bonus vis fieri, conuerseris cum seruis Iesu Christi. si ad salutẽ corporis fugis loca contagiosa, cur non ad salutem animæ fugies conuersationem malorum, & adiunges te bonis? Fuge itaq; omnem mundanam conuersationem, tanquam ignem inferni. Conuersare cum amicis Dei, à quibus tãdem

Gen. 39. 4. Reg. 3. Ioan. 20. Actor. 2. 1. Cor. 15.

plus emolumenti percipies, quàm alioqui credibile foret.

CAPVT XXIX.

De intentione eius, qui mundum contemnit.

Matt.19. OMnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, & cæt. propter nomen meum, centuplum accipiet, dicit Dominus. Multi relinquunt magnas possessiones, non recipiunt tamen præmium, quia non relinquunt mundum propter Christum. Quærunt seipsos, amant propriam gloriam, & captant hominum fauorem. Tantò opus tuum est maioris meriti, quantò ex maiori charita-
1. Cor.13. te erga Deum factum fuerit. Dicit Apostolus: Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Tu solum stude placere Deo: solus ipsius amor moueat te ad seruiendum ei, spernendo hunc mundum sine expectatione alicuius temporalis commodi. Laudabat Deus Iob, & argumentabatur diabolus dicens; nũquid Iob frustra timet

timetDeum? quia si Iob timuisset Deum *Iob. 1.*
magis propter commodũ temporale, q̃
propter gloriam Dei, iam arguisset Iob
non esse sanctum apud Deum, prout ha
bebatur. Proinde qui vult mereri apud
Deum suis bonis operibus, non aliud in-
tendat, quàm placere Deo. Caue ergo
præferas bonum temporale amori &
gloriæ Dei, alioqui etiam mali possunt
facere bona opera mortaliter, quæ tamẽ
non merentur vitam æternam. Immò si
desistas à peccato eo fine tantũ vel prin-
cipaliter, vt vitam æternam acquiras, &
non propter Deum, nunquam eam ac-
quires. Et si relinquis mundum eo fine
tantùm vel principaliter, vt non eas ad
infernum, & non propter Deum, sine du
bio ibis ad infernum: quia hic finis tuus
intentus procedit tantùm ab amore pro-
prio. Considera bene vnde procedat hæc
intentio, & videbis oriri ex amore pro-
prio. An non vides te, non esse adhuc
Dominum tuiipsius, nec perfectè morti-
ficatum, & adhuc ignorare quid sit ser-
uire Deo? Quis est amicus Dei? qui nimi-
rum relinquit mundum propter Deum.
Quis est seru' Iesu Christi? qui nihil quæ
rit, nisi vt faciat voluntatem Christi. Di- *Psal. 118.*
cit Psalmista; Inclinaui cor meum ad fa-
cien-

ciendum iustificationes tuas propter retributionem, quod præmium est Deus ipse, cùm ipsemet dixerit ad Abraham; Gen.15. Ego sum merces tua magna nimis. Ergo Deus principaliter tibi spectetur vt præmium, nihil verò quantumuis exiguum ex tali radice productum carebit suo merito. Quære solum regnum Dei, & amplectere consilium Apostoli. 1.Cor.10. Omnia ad gloriam Dei faciatis. Verus amator quærit in omnibus Deum, quia charitas est vinculum amoris, quo sumus vniti cum Deo, per renunciationem nostri ipsorũ. Et quamuis amor naturalis & diuinus, quoad exteriora æquiparentur, intentione tamen differũt, quia charitas nõ quærit quæ sua sunt, sed amor naturalis in omnibus quærit seipsum. Proinde Deus sit tibi causa & finis in omni opere, nisi oleum & operam perdere velis.

CAPVT XXX.

De memoria mortis.

Eccl.7. MEmorare nouissima tua & in æternum non peccabis. Multum prodest memoria mortis, ad cõtemnendam huius sæculi vanitatem. Facilè

cilè omnia contemnit, qui recordatur se moriturum. Induit Dominus Adamum pellibus animalium mortuorum, vt animo infigeret mortis sententiam, quam incurrerat propter peccatum. Cùm itaq; tu cum reliquis mortalibus condemnatus sis ad mortem, & rectà tendis ad sepulturam, cur vis quæso viuere in delitijs? Imò expēdas hoc exiguum tempus, quod tibi restat, in continuis suspirijs & lachrymis. Singularis quædam medicina ad refrenandum prauas affectiones est consideratio mortis, in qua corpus comeditur à vermibus, & cōuertitur in terram & cinerem.

Mors ipsa infundit aquam desideriorum nostrorum fornaci accensæ.

Mors est horologium, quo componenda est vita nostra, cuius memoria in puncto extinguit amorem nostrū mundanum. Veluti alter Daniel, qui dispergendo cinerem detexit furtiua vestigia sacerdotum Babyloniæ: Sic tu si asperseris memoriam tuam cinere, in quem cōuertendus es, deteges fallacias mundi, astutias dæmonis, occultas tentationes, quibus dæmones impugnant animam tuam. Vtinam horum memor esses: qua puritate conscientiæ vitam tuam traduceres. Dan. 14.

ceres,

ceres, quantam amaritudinem inueni-res in ijs, quæ te delectant, & quàm sollicitè ambulares in hac vita miserabili, quàm nunc inordinatè amas? In angusto illo transitu cognosces quando melius fuisset seruiuisse te Deo, quàm si expendisses tempus hoc pretiosum in vanitatibus, & ijs quæ nihil te tunc temporis iuuare poterunt. Amici, parentes, diuitiæ & bona temporalia, quæ nunc magni facis, parum tibi tunc proderunt quia magis tunc proderit pura conscientia, quàm si toti mundo dominatus fuisses. Breuiter non potest explicari, nec-dum euitari angustia, quæ hominibus in hora mortis occurrit. Nauta sedens in puppi gubernat nauem, quem tu imitari debes nauigans in hoc mari procelloso huius mundi, procurando tibi quietem in hac vita, vbi contempleris mortem, si vitam tuam ad legem Dei componere voles. Cinis sustentat ignem, memoria verò cineris, in quem conuertendus es, conseruat gratiam. Summæ dementiæ est, si homo mortalis non recordetur mortis: summæ verò prudentiæ est continuam habere mortis memoriã. sed mundani solius vitæ meminerunt, mortis verò obliuiscuntur; nihil tamen

ita

ita abstrahit à peccato quàm continua mortis recordatio, quæ optimè disponit hominem ad mortem. Fœlix ille qui manè cogitat sese vesperi non victurum, & vesperi manè non futurum. Fœlix ille qui semper est paratus, ne mors eum opprimat imparatum. Fœlix ille qui studet esse talis in vita, qualem se vellet reperiri im morte. mirum est te non credere ijs, quæ quotidie accidunt. In omni momēto resonet in auribus tuis terribilis illa tuba: Surgite mortui, venite ad iudicium. Cribrum effundens aquam retinet paleam, aliasq; sordes: tu verò nunquam abijcias abs te mortis memoriam, quæ te cohibeat à vindicandis iniurijs, & à sectandis vanitatibus huius mundi, quæ adhuc manent in memoria tua, studeasque acquirendis solidis virtutibus, quibus tādem peruenias ad æternam illam beatitudinem.

CAPVT XXXI.

De hora mortis incerta.

Vigilate, quia nescitis diem neque horam, dicit Dominus. Cū mors sit adeò certa, tempus verò per se incer- *Matt. 25.*

incertum, ſemper oportet vigilare, & omnem diem reputare pro vltimo. Multi ædificant domos, nec tamen ſciunt an illas inhabitabunt. Multi ſibi prouident de commeatu in annum ſequentem, quem fortè non videbunt, parant ſe ad vitam, quæ eſt incerta, dum negligunt curam mortis, quæ eſt certa. Cùm itaq; ad res incertas tibi tanto ſtudio prouides, cur non prouides tibi in mortem, quæ eſt certiſſima, cùm æquum eſſet vt

Eccleſ.9. relinqueres incertum pro certo? Neſcit homo finem ſuum dicit Sapiens, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aues laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò ſuperuenit interitus. Quid amplius præſentibus immoraris? Si Rex tibi concederet ex gratia vnam ſui regni ciuitatem, & aſſignaret tibi certam horam, ad conſcribendum & confirmandum illud priuilegium, nonne magno ſtudio ac diligentia illud expediri curares? Nunc longè maxima eſt illa cœleſtis Hieruſalem nobis promiſſa, hanc ſummus Rex liberaliter tibi promittit, tempuſq; huius vitæ confert ad ciuitatem illam, ceu potius cœleſte regnum promerendum. Veniet hora quando nemo

po-

poterit operari. Non habes vel vnam horam vitæ certam. Cùm igitur tempus sit adeo breue, & promissiones tam sublimes, mirum quod multi tam otiosè immorantur iocis ac vanitatibus, quasi adhuc haberent centum annos certos vitæ, & post hanc vitam non expectarent alteram. *Ioan. 9.*

Si ad acquirendum aliquod bonum temporale perdis somnum, adimis tibi cibum, & te priuas multis voluptatibus, modò acquiras id quod habes præ manibus, nec occasio elabatur. Cùm tempus hoc tuum ad promerendum regnum cœlorum sit breuius, cur non relictis omnibus occupationibus mūdanis illud expendis in adeptionem vitæ cœlestis? ne quæso negligas tempus presens, cum fortè non videbis crastinum. Quinq; illæ virgines fatuæ dictæ fuerunt, quæ tempus inutiliter perire permiserunt, & confidentes sibi de tempore futuro illud non inuenerunt. Ne vitam longam, sed bonam quæras, non multos annos, sed bonos quæras. Viginti annis regnauit Saul in Israel: Scriptura tamē dicit quod duobus annis regnauerit, quia Deus nō numerat annos malè expensos, sed solùm bene collocatos. *Matth. 25.* *1. Reg. 13.*

Labora

Labora potius vt bene, quàm vt diu viuas, nec sufficiat tibi bona voluntas, sed ei adde opus, si quidem potes. Multi bona sua voluntate contenti descenderunt ad inferos. Incerta est hora mortis quod ipsum excitare nos deberet ad maiorem vigilantiam præstandam. Stultũ planè est viuere in eo statu, in quo nolles te præoccupari à morte; & cùm illud quauis hora posset accidere, ratio te vrget, vt benè viuas, quia nescis qua hora mors te aggredietur.

CAPVT XXXII.

Cur Deus voluerit nos esse incertos de hora mortis.

Iob 14. BReues dies hominis sunt, & numerus mensium eius apud Deum est, dicit Iob. Incerta est hora mortis,
Matth. 24. nec scis in qua vigilia vocabit te Dominus. Ex incertitudine horæ mortis præsumere debemus finiri vitam nostram, & cogitare adesse nobis semper vltimam horam. Cùm in hac re, tum in omnibus alijs pientissimè nobiscum egit Dominus Deus, quod voluerit nos cælare horam mortis, vt indies

ma-

magis,ac magis mundi corde viuamus. Quales inueniemur in morte, tales iudicabimur,& quia omni momento possumus mori,viuamus innocenter, vt in reddenda ratione iustiores inueniamur. Tanto feruentior debes esse in bene operando,quanto incertior es de hora mortis tuæ, ad quam excipiendam semper debes esse paratus. Quod si multi adhuc Deum offendunt, cùm tamen mortis hora sit incerta, peiores essent si præscirent horam mortis suæ,quia differrent pœnitentiam suam, vt sub illa securitate liberius peccarent. Incertitudo horæ mortis refrenat multos à peccatis, qui si scirent multis annis se victuros, inuoluerent se compluribus vitijs & peccatis. Rursus si incertitudo horæ mortis quosdam non auertit à peccando,saltem non permittet multo tempore perseuerare in peccato. Denique si sciret homo tempus mortis suę,aut illud subitaneum fore, aut intra tempus certum futurum sciret:subitaneum illud tempus ad peragendam pœnitentiam valdè periculosum esset : longum verò tempus daret maiorem peccandi occasionem,per dilationem pœnitentiæ, vsque ad vltimum diem : quorum vtrunque non vacat

præ-

præſenti periculo. Pœnitentia ſubitanea eiuſque vana dilatio valdè nocet conſcientiæ. Vt itaq; libereris ab huiuſcemodi periculo, voluit diuina prouidentia horam mortis tibi eſſe occultam, vt cùm mortem ſemper habeas ſuſpectam, bene viuas quouis tempore, & in timore Dei: & de hoc ſingulari beneficio, quod Deus tibi voluerit occultare horam mortis, teneris Deo agere gratias, qui hac ratione te incitat ad bene operandum. Voluit rurſus Deus ne ſcires horam mortis, vt diſceres viuere ad vtilitatem boni communis, non ad tuam propriam. Maius enim eſt bonum commune, quàm particulare. Si ſcires te citò moriturum, multa bona opera non faceres, quæ tamen promouent vtilitatem communem, tantumque ſtuderes tuæ ſaluti cum neglectu proximi. Quid amplius? ſi homo ſciret hanc infirmitatem ſuam non fore ad mortem, non confiteretur, non reciperet ſacramenta, nec inuocaret Sanctos, non curaret fieri ſacra, aut alia bona opera, quæ ſolent fieri pro infirmis. Nunc multi grauiter decumbentes conuertũt ſe ad Dominum Deum, credentes ſe vicinos eſſe morti, quod alioqui non facerent, ſi ſcirent hanc infirmitatem non

fore

fore ad mortem. Postremò noluit Deus nos præscire horam mortis, ad conseruandum pacificum Christianorum inter se viuendi modum, quia si sciremus nos adhuc multis annis superuicturos, cōsequerentur odia, vindictæ & similia. quod si sciremus nos breui morituros, viueremus tristes & melancholici, proximis morosi & intolerabiles. Quæ omnia violant pacem communem, & conuersationem humanam. Cùm itaq; Deus de hac incertitudine horæ nobis tam clementer prouiderit ad vtilitatem tam nostram, quàm communem, est quod de hoc beneficio ipsi singulares gratias agamus, ipsumq; assiduè amemus, obseruemus, ac vnicè colamus.

CAPVT XXXIII.

Quod seruus Dei debeat meditari mortem.

SI annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, scilicet mortis, inquit Sapiens. Mors veniens superabitur, si fuerit ante præmeditata, nec est quicquam, quòd à morte tutius *Eccl.11.*

te defendere poterit, quàm assidua eius memoria. Vita sapientis est meditatio mortis, & indignus est consolatione in morte, qui mortis in vita oblitus fuit. CHRISTVS in gloriosa sua transfiguratione assumpsit secum Moysen iam olim mortuum, vt etiam nos in alto aliquo gradu constituti, semper mortem nobis ob oculos poneremus. Deus mortem tanquam medium nobis proposuit adipiscendæ vitæ, licet videatur esse contraria vitæ, fecitque CHRISTVS mortem nobis tam suauem, vt amisso nomine mortis esset nobis instrumentum vitæ, cùm per eam acquiramus veram in cœlo vitam: sic vt quæ ante gloriosam suam resurrectionem erat mors, nunc sit vita; vita quidem bonis, portus verò mortis æternæ malis: Estque terminus, in quo datur merces strenuis militibus, & quo turpiter dimittuntur segnes ac pigri. mors pro diuersa ratione vitæ, præbet etiam meritum inæquale. non cades in manum dexteram mortis, si ipsius oblitus fueris. Summa philosophia est frequens mortis meditatio: Præcepit paterfamilias seruis suis, vt inuitarent, quos inuenirent in angulis platea-

Matt.17.

Matt.22.

tearum, & quia sumus peregrinantes in hoc mundo, vult Deus vt consideremus itineris huius finem, quæ est mors. Niniuitæ, prædicata ipsis à Iona morte egerunt pœnitentiam. Si itaque mortis consideratio tam ingentem mutationem attulit animis illorum peccatorum, considera quantam illa secum vtilitatem adferat. In tentatione non superaberis, si mortem meditaberis. Ne ita ames vitam, vt obliuiscaris mortis: tunc verò maximè morieris, cùm lubentius hic vitam traducis: memoria mortis efficit, ne homo extollatur in prosperitate. Bonum est consummare vitam ante mortem, & securè exspectare alteram sui temporis portionem. Si vides alios mori, crede te etiam tendere ad mortem, licet tibi videaris stare firmus. Duabus nauibus sibi obuiantibus in mari, videtur nauigantibus altera longè velocius pergere, quàm ipsorum, licet reuera vtraque nauis æqualiter pergat. Sic etiam fit, vt cùm quis alium mori videt, non recogitat se etiam mortalem, sed immortalem. Quod si mors aliquem ex improuiso rapit, non id facit modo aliquo proditorio, cùm iam multò ante professa fuerit se nobis esse hostem, nec vnquam

Ion 3.

quam nobiſcum pacem facit, quin ma-ctet ſemper. Tuum fuerat te præparare, eamq́; omni tempore exſpectare, & viuere in Dei timore. Qui ambulant per niues cæcutiunt, & dum putant ſe ingredi hoſpitium ſubinde impingunt in aliquem periculoſum tranſitum: Sic etiam, quibus in vita omnia fuerunt proſpera (quæ inſtar niuis hominem excæcant) putantes ſe ſemper victuros, ruunt in mortem, & magnam confuſionem. nec mirum, cùm ex diuitijs delabantur in paupertatem, ex voluptatibus & honoribus in dolores plurimos. Aequum vtiq; eſt, vt in morte ſui obliuiſcatur, quiſquis in vita oblitus eſt Dei. Et vix poteſt cogitare tunc de ſua ſalute, occupatus fallace mundi lumine, niſi depoſita prius omni pernicioſa circa res viſibiles hallucinatione. Sic debet quis cõtemplari mortem, ſpreta omni vanitate, gloria, & honore mundi. Elias ſtabat in ore ſpeluncæ, ſem-
3. Reg. 19. per ſpeculando, ſic tu imitando Heliam per contemplationem mortis videbis quomodo furor Domini diſſipet, & ad nihilum redigat omnem vanitatẽ mundi, & quod Deus non adſit inordinatis deſiderijs huius mundi. Tranſibat ignis & ventus coram Helia, quia omnes pro-
ſpe-

ſperitates huius mundi velociter tranſeunt ſine aliqua mora. Tu itaq; recogita vanitatem mundi, & ſpreta breui & fallaci hac vita, acquires fœlicem illam ac æternam.

CAPVT XXXIV.

De prima mundi turma ſuperbia.

OMne quod eſt in mundo, dicit ſanctus Ioannes, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: Hiſce tribus turmis mundus te oppugnat. Hiſce tribus prælijs Chaldæi oppugnabant ſanctum Iob, honoribus, diuitijs, & voluptatibus. Sed inter hos aſſultus potentiſſimus eſt ille ſuperbiæ: & initium quidem omnis peccati eſt ſuperbia. Si itaq; velis accedere ad Deum, fuge ſuperbiam, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Aquæ diuinæ gratiæ relictis montibus currunt per valles. Conſidera quis ſis, vt videas, quàm parum habeas vnde ſuperbias. In conceptione tua inuenies culpam, in natiuitate miſeriam, in vita pœnam, in fine anxietatem: Ad domandũ tuam ſuperbiam voluit Deus

1. Ioan. 2. *Iob. 1.* *Eccl. 10.* *Iacob 4.*

te affligi ab animalibus paruis, veluti culicibus, & ranunculis, quales Deus immisit AEgypto. Ne tanquam arrogans narres virtutes tuas, & aliorum defectus, sed tanquam humilis respice tuos defectus, & bona proximi tui, teque peccatorem agnosce, proximum verò tuum sanctum reputabis. Ne imi-
Luc. 18. teris superbum Pharisæum, qui narrabat suas virtutes & defectus publicani. Ne sis arrogans, nisi velis incidere in
Esai. 16. rigorosum Dei iudicium. Moab superbus est valdè, dicit Deus. Ne superbias, cùm sis dignus omni ignominia & confusione. Humiliatio tua in medio tui,
Mich. 6. dicit Michæas. Es vermis, terra, & spelunca quædam turpitudinis & abominationis. Memento te puluerem esse, & redigendum in cinerem. Sparsit
Exod. 9. Moyses cinerem in cœlum, & venit plaga magna in AEgyptum. Si itaque cùm sis cinis, superbus fueris, grauiter punieris. Sicut Nabuchodonosor pro-
Dan. 5. pter superbiam egregiè fuit punitus, nec est peccatum, quod hominem faciat similiorem dæmoni, quàm superbia. ad delendum peccatum superbiæ in humilitate descendit Deus super ter-
Ioan. 4. ram. Initium omnis peccati superbia.

alij quidem ſeparantur à Deo, impulſi Eccl.10.
vel aliquo ſingulari commodo, vel delectatione: Sed maledictus ſuperbus eſt tam impudens, vt voluntariè ſe ſeparet à Deo. Alia vitia cognoſcuntur procedere ex cupiditatibus quibuſdam inordinatis: ſed ſuperbus in omnibus, quæ facit, oſtendit ſuam ſuperbiam. Oſtendit ſuperbiam in pompoſis menſis, in pretioſis lectis, & compluribus alijs. Superbia eſt inſtar febris cuiuſdam continuæ, denique ſuperbia cõcomitatur hominem vſq; ad mortem: quid, quod ex ſumptuoſitate ſepulturæ agnoſcitur vita ſuperbi? Ad vitandum ſuperbiam permittit Deus, vt homo labatur in alia peccata. Abominatio Domini eſt om- Iob.15.
nis arrogans tetendit aduerſus DEVM manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt, dicit Iob. Scribitur in Prouerbijs: Inter ſuperbos ſemper iur- Pro.13.
gia ſunt. Nam cum alijs peccatoribus facilis eſt conuerſatio, ſed ſuperbus nullum parem admittit. Saul cùm eſſet par- 1. Reg. 15.
uus in oculis ſuis factus eſt caput tribuum, ſed poſtquam ſuperbus factus eſt, excidit regno, & gratiam Dei amiſit. Superbia eſt radix omnium vitiorum, &

omnium virtutum destructio. Arbores altè plantatæ citius ventorum propter vehementiam folijs priuantur. stude itaq; esse paruus, dilige humilitatem, erisque securior.

CAPVT XXXV.

De humilitate.

Luc.14. *Luc.18.* QVI se humiliat, exaltabitur, dicit Dominus. Sit tibi humilitas in refrigerium superbiæ. Hæc est sponsa Iesu Christi adeò dilecta, vt cum illa nasci voluerit, cum ea vixerit per totam vitam, tanquam cum amica charissima. Dicit Dominus: Intrate per angustam portam &c. quia arcta via est, *Matt.7.* quæ ducit ad vitam. Non potes intrare per portam aliquam angustam, nisi te humilies: nisi te humiliaueris, non intrabis in regnum Dei. Nisi quis se humiliauerit sicut paruulus, non intrabit in regnum cœlorum. Discite à me, quia mitis *Matt.18.* sum, & humilis corde, dicit Saluator. *Matt.11.* Sunt qui se agnoscunt esse debiles & peccatores, non tamen pro talibus haberi volunt: sed tu sis humilis corde & voluntate. Humilis Iesus Christus ostendit

tribus

tribus discipulis suis tantam gloriam transfigurationis suæ, sed ignominiam suam ostendit infinitis nationibus, moriens publicè in cruce ipso die paschæ. Multi volunt virtutes suas omnibus esse notas, ita tamen, vt nolint cognosci defectus suos. Sæpius prædicauit Saluator de humilitate, vt eam frequenter animis nostris inculcaret. Magnoperè Christus afficiebatur erga humiles. Cùm Centurio diceret se non esse dignum, vt Christus ingrederetur domum suam, prælatus fuit omnibus Iudæis. S. Paulus cùm diceret se non esse dignum, vt vocaretur Apostolus, fuit habitus prædicator omnium maximus. San. Petrus cùm se reputaret indignum, qui maneret cum Christo, factus est princeps Ecclesiæ. Humilis S. Ioannes Baptista dicebat se indignum esse, qui dissolueret corrigiam calceamenti eius, fuit tamen electus amicus sponsi, & baptizauit Christum. Semper à principio mundi Deus selegit paruos & humiles. Ex duobus fratribus minorem elegit Abel fratrem Caini. Ex filijs Abraham elegit Isaac, qui erat minor natu Ismaele. De filijs Isaac elegit Iacob minorem natu: ex duodecim filijs Iacob elegit Iosephum, eum-

Matt. 17. *Matt. 8.* *1. Cor. 15.* *Luc. 5.* *Matt. 3.* *Gen. 4. 25.*

Gen. 40. & 41. quę fecit principem AEgypti. Ex filijs
1. Reg. 16. Isai elegit minorem Dauidem in Regem & Prophetam: Elegerat & Saulem,
qui erat ex infima tribu. Rursus Christus veniens in mundum, tanquam a-
1. Reg. 10. Matt. 4. mator humilitatis, non magnos & potentes elegit sibi discipulos, sed pauperes
& humiles piscatores. Nonne minimis
Prou. 6. quibusuis animalibus, vt formicis, &c. Deus tantam sapientiam indidit, quæ
hominem in summam admirationem
raperet. In creatione mundi nonne ex
Gene. 1. materia prima re vilissima Deus omnia fecit, immò ex nihilo, vt habet fides
Christiana? Rursus Christus Dei filius humiliauit seipsum pro nobis, imò exi-
Phil. 2. naniuit, factus obediens Patri vsque ad mortem. In exemplum humilitatis,
Matt. 13. & 19. Christus paruulos ad se potissimum vocauit, dicens: Sinite paruulos ad me ve-
nire, & nolite eos prohibere, talium est enim regnum cœlorum. Superbiam
verò Capharnaum grauissimè increpuit, dicens: & tu Capharnaum, nun-
Matt. 11. quid vsque ad cœlum exaltaberis? vsque ad infernum descendes. Gloria superbi
citò mutatur in confusionem, & quemadmodum superbia displicet Deo, ac
hominibus; sic è contrario humilitas a-
pud

pud omnes meretur gratiam. Et quemadmodum cinis conſeruat ignem, ita humilitas gratiam Spiritus S. Abraham dicebat Deo: Loquar ad Dominum, cùm ſim puluis & cinis. Quò puteus profundior, eò aqua eſt dulcior & ſuauior: ſic quantò fueris humilior, tantò eris Deo gratior. Ne ambias altas dignitates & ſtatus, qui citò finem ſuum ſortientur, ſaltem in morte. Si conſideres ad quem finem miſerum præcipitentur ſuperbi, facilè fies humilis. Quamuis in agro ſint aliquæ ſpicæ altiores alijs, nihilominus tamen à meſſore præſectæ remanent humi æquales cum quibuſcunque alijs: Sic licet in hoc mundo alij reperiantur alijs maiores in ſcientia, diuitijs, honoribus & dignitatibus, mors tamen ſua falce omnes ad æqualitatem rediget. Si aperueris ſepulturas, non poteris diſcernere inter diuitem aut pauperem, Regem aut Paſtorem, nec cognoſces inter eos, quis fuerit illuſtris præ cæteris, quis contra contemptus, & deſpectus. Si igitur omnes potentatus, & honores mundi redigendi ſunt ad æqualitatem miſeriæ, vanitatis eſt diligere in hoc mundo magnam nominis exiſtimationem. Humiliter itaque

Gen. 18.

ſentias de teipſo, & inuenies maiorem gratiam apud Deum. Ama eſſe paruus & humilis, vt merearis à Deo exaltari in alto throno,& gloria.

CAPVT XXXVI.

De auaritia.

Ephes.5. AVarus non habet hæreditatem in regno Chriſti,& Dei. Hæc eſt ſecunda turma,qua mundus ho-
Philip.3. minem oppugnat. Quam facilè vinces, ſi memineris te necdum veniſſe in hunc mundum, & omnes diuitias eſſe veluti ſtercora, & relinquenda ſaltem in morte. Auaro nihil inhumanius, & crudelius. Auarus charitate caret, nec agnoſcit vel matrem, vel fratres, & ſuos non ſecus tractat, atque externos. Dicit Ec-
Eccleſ.14. cleſiaſticus: Qui ſibi nequam cui bonus? Quis aliquid boni ſperet ab auaro, cùm & erga ſeipſum ſit crudelis? Nil boni facit,niſi quando moritur. Homo auarus in diuitijs,eſt prodigus honoris. Eſt certè mirum, quod cùm homo ſit creatus ad amandum Deum, cur adeò inordinatè afficiatur vilibus rebus huius mun-
Eccle.10. di. Dicit Eccleſiaſt. Auaro nihil eſt ſce-

lestius. Alij licet sibi noceant, alijs tamen quodammodo prosunt: Sed auarus omnibus tam priuatim, quàm publicè nocet; quia dum abscondit bona terræ, inducit annonæ caritatem. Nullus pauperior auaro. Ipse sibimet est causa miseriæ. Non potest reperiri maior paupertas, quàm nihil habere: Auaro verò tam deest quod habet, quàm quod non habet. Non vtitur ijs quæ habet, imò eorum se seruum facit. Paupertati omne minimum sufficit: auaritiæ verò nihil quamuis abundans sufficit. Alij verò licet non fruantur alio mundo, saltem præsenti potiuntur: Auarus verò neutro fruitur, eoq́ue omnium est longè miserrimus. Qui ponit spem suam in diuitijs, caret prudentia. Nunquam deest auaro occasio negandi quod petitur. Fugere verò desiderium inordinatum, est vincere regnum. Rogatus Dæmon vnde veniret, respondit se circuisse terram, ita etiam auarus non ambulat in cœlo, sed in terra ad exemplum Diaboli. Diues auarus est crumena principum, lectica latronum, & cõtentio inter cognatos. Auarus indignus est conuersatione tàm Angelorum cœlestium, quàm hominum terrenorũ. Quare meretur sepulturam Iudæ tradi- *Iob.1.*

Matt.27. toris,qui prę cupiditate pecuniarum vendidit Saluatorem mundi. Auarus antequam lucretur,lucro obijcitur: antequã capiatur,captus eſt. Ardet hic igne deſi-
Luc.16. derij,poſtea verò arſurus igne inferni. Vnam ſolùm aquæ guttulam diues auarus in inferno petijt, quæ tantum abeſt, vt ſufficeret ad explendam auari ſitim, vt vix mare ipſum ſufficeret. Quicquid
Exod.15. eſt graue inclinatur verſus centrum ſuum: Sed nihil adeò deprimit cor hominis atque auaritia. Deſcenderunt in profundum quaſi lapis, dicebat ſcriptura de Pharaone, & de dijs eius. Sola auaritia præ reliquis vitijs reuiuiſcit in ſenectute. Si pectore in terram procubueris ad in-
Iudic.6. ordinatè bibendum diuitias huius ſęculi ablegaberis ex parte Dei, quales fuerunt ablegati à Gedeone in pugna con-
Ioſue 7. tra Madianitas. Multos decepit hoc inor
4.Reg.5. dinatum deſiderium. Et nónne Achan
Marc.6. lapidatus, Giezi repletus lepra, Iudas ſu-
Actor.5. ſpenſus, Ananias & Zaphyra ſubitò interierunt?Fuge auaritiam. Fortior eſt is, qui hoc auaritiæ vitiũ vincit, quàm qui vincit hoſtes ſuos.Si addis diuitias addis ligna,cum quibus tanquam altera Phœnix ardebis in inferno. Sicut Medicus prohibet infirmo id quod admodum ap
petit,

petit, vt poſſit ſanari, ita Deus tanquam bonus medicus prohibet hominis auaritiam ad ſanitatem animæ eius, quem ſi non audit, eſt inſtar Adami, qui Deo prohibenti, vt abſtineret à pomo, cũ non obediret, in multa mala incidit. Deo itaque obſequere, qui te admonet vt fugias auaritiam, ſi animam tuã ſaluari cupis. *Gen. 2.*

CAPVT XXXVII.

De liberalitate.

DAte & dabitur vobis: dicit Dominus. *Luc. 6.* Comparat Chriſtus diuitias *Luc. 8.* ſpinis, quæ attingentes manũ expanſam non pungunt, ſed manib. apprehendentibus infligunt vulnera, & tantò plus damni inferũt. Diuitiæ manibus apertis & liberalibus non nocent, ſed clauſis. Beatus ille, de quo dici poteſt, ꝙ manum ſuã aperuerit inopi. *Prou. 31.* Si dederis pauperi accipies bonam monetam pro mala. Si das illud quod ſupereſt creſces in virtute inſtar arboris iam irrigatæ. Nunquam deerit illi quicquam, qui largitur in gratia Chriſti, ſicut non defuit farina & oleum in domo viduæ, quantumuis pauperis, quæ cibum dedit Heliæ. Multi *3. Reg. 7.*

dicunt

dicunt, si viderem aliquem pauperem, sicut Heliam, vtique de illo bene mererer, sed illi decipiuntur? nam cùm non dant domino Heliæ, quomodo darent Heliæ? qui dat pauperi, dat Iesu Christo.
Matth. 25. Quãdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Si igitur non succurris domino Heliæ, quomodo succurreres Heliæ? Beatus qui intelligit super
Psal. 40. egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. In die iudicij examinaberis de operibus misericordiæ, Pauper relictus est diuiti ad medicinam: Auarus verò non vult sanari à vulneribus suis. Multi expendunt diuitias suas in ædes, tapetes, & equos, vt eo modo acquirant famam, & nominis existimationẽ: Cùm multò magis commendarentur, si eas expenderent in pauperes, qui sunt magis idonei ad celebrandum nomen tuum; quàm aliæ quæuis creaturæ irrationales. Nec lecti, nec muræ domus tuę habent linguam, qua te celebrent, quam tamen habent pauperes, qua nomen tuum celebrare possunt. Sis liberalis, erisq́; gratus Deo, & apud homines gratiosus. Liberalis habet multos amicos, quamuis multi eorũ sunt ingrati. Qui se liberalem erga alios præstat, non potest carere amicis:

amicis:

amicis: Auarus verò omnibus est odio. Pauperes ei maledicunt, & sui ei exoptant mortem. Si labatur aliquo alio vitio statim ille diffamatur: Sed liberalem omnes excusant, & cōtra quemuis calumniantem defendunt. Multa beneficia recipit, qui artem dandi callet, & fœlicem se potest in terra prędicare. Beatius est dare, quàm accipere: vt beatius est amare, quàm amari. Amare etenim est in genenere actionis: sed amari non dicit actionem, vel meritum. Deus omnibus dat, & à nullo recipit. Quo igitur plus quis dat, ei similior efficitur. Sol excellit præ cæteris Planetis, quia præbet lucem stellis. Qui dat, est liberalis, pius, & iustus: & quò auarus vilior & odiosior est, eò generosior & nobilior liberalis. Diuitiæ hominibus sapientibus seruituti sunt, ignominiæ stultis. Et licet prodigalitas sit vitium, peior est auaritia, quia prodigus bene meretur de multis, auarus verò nemini prodest. *Actor.10.*

CA-

CAPVT XXXVIII.

De peccato libidinis.

1.Cor.3. NEscitis (inquit Apostolus) quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis, templum autem Dei si quis violauerit, disperdet illum Deus. Hæc est tertia pugna, qua mundus nos oppugnat. Alia vitia vnam hominis partem coinquinant, animam nimirum, sed hoc vitium totum hominem coinquinat. Non effugies terribile Dei iudicium, si inhonestè tractaueris templum Spiritus S. Propter hoc

Gen.8. maledictum vitium destruxit DEVS mundum per diluuium: Incendit quinque illas ciuitates Sodomæ & Gomor-

Gen.19. rhæ: Ozam subitanea morte perdidit: Ci

Gen.38. uitatē Sichem succendi permisit, & qua-

Gen.34. si totam tribum Beniamin deleri. Hinc

Iudic.20. peremptus est *a* Amon: Idolis immola-

a 2.Reg.13 uit *b* Salomon: Occisi fuerūt mariti *c* Sa-

b 2.Reg.11 ræ: excæcatus est *d* Sampson: damnis ma

c Tob.4. ximis affectus est *e* Dauid: Occisi sunt

d Iudic 16. *f* Senes duo accusatores Susannæ: deni-

e 2.Reg.12 que huius sceleris occasione tria homi-

f Dan.12. num

num g millia perierunt ex populo Israhel, & breuiter, maxima quæque flagella propter hoc peccatum Deus in populum immisit. Fuge hanc pestem, & à Spiritu Dei consolaberis. Memor sis mortis & libidinem excludes. Fuge otium, & carnis tentationes abs te repelles. Memor sis ignis infernalis, vbi perpetuò ardebunt carnales, & liberaberis à quacunque temporali tribulatione. Durum videtur tibi resistere tentationibus, sed duriùs erit affligi in inferno. Qui à primo igne non liberatur, non poterit liberari à secundo. Vnus ardor vincit alium. Ignis Infernalis memoria extinguit ardorem carnis. Si te tenet amor Dei, omnes aliæ vanitates repellentur ex corde tuo. Seruus est Diaboli, qui assentitur vitijs & malis cogitationibus. De hoc peccato loquebatur Apostolus, cùm diceret, quod qui talia agerent, regnum DEI possessuri non essent. Carnis peccatum est ignis inferni, & materia eius est gula. Flamma, turpitudo; cinis, immunditia; fumus, infamia; finis, tormentum; destructio corporis, abbreuiatio vitæ, corruptio virtutis, transgressio legis. Multi pereunt ex ijs, qui

g Num. 15. 1. Cor. 10.

Ad Gal. 6.

qui cum offensa Dei hoc vitio dediti fuerunt. Si vis vincere, necesse est fugere secundum Apost. consilium. Hæc victoria acquiritur potius fugiendo, quàm expectando. Victus delicatus est incitamentum libidinis: Sed si occupaueris te sanctis exercitijs, facilè castus eris. Magni miraculi fuerit, si euaseris hanc persecutionem, quamdiu vixeris in otio & torpore. Aqua lachrymarum extingues ignem libidinis; nisi verò omnem mali huius occasionem vitaueris, proculdubio succumbes. Pauci sunt, qui vel in iuuentute, vel in senectute huic vitio non sunt dediti. Laudant quidem castitatem, sed parum illam obseruant. Volunt quidem videri honesti, & laudant honestatem, non tamen fugiunt occasiones. Bona quidem fortè est eorum intentio, sed deest scientia. O Beatam illam animam, quæ in corpore mundo seruit sponso suo Iesu Christo. Fœlicem illum, qui parat in corde suo castam habitationem Spiritui S. Memor sis mortis, corruptionis & turpitudinis, in quam resoluuntur corpora nostra. Quæ si sæpè ruminaueris, seruies Deo in modestia, eoq; semper frueris liber à gehenna ignis, vbi ardebunt illi, qui instar bestiarum in hoc mundo

1.Cor.6.

mundo addicti fuerunt appetitionibus carnalibus.

CAPVT XXXIX.

De Castitate.

IN maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, dicit Sapiens. Antequam Deus reuelaret Ezechieli Prophetæ, id quod dicturus esset filijs Amon, occidit vxorem eius. Vxore eius mortua capax factus est secretorum Dei, quia antea captus, & implicitus erat laqueis carnalibus. Inter Apostolos S. Ioannes Euangelista, & S. Paulus. Virginitatis dono celebres extiterunt, quorũ vnus fuit raptus vsque ad tertium cœlum, & vidit essentiam diuinam: alter verò super pectus Domini recumbens meruit haurire secreta cœlestia, & in insula Pathmos prę fuit toti Ecclesiæ militanti. S. Thomas Aquinas virtutis merito admirabili Sapientia præditus fuit. Recollige sensus exteriores, refræna appetitus tuos. dicit Hieremias. ascendit mors per fenestras nostras. Nisi custodiam adhibeas sensibus tuis, mala morte morietur anima tua. Isbozet amisit vitam, eò quod non po-

Sap. 1. *Ezech. 24.* *2. Cor. 10.* *Ioan. 13.* *Apoc. 1.* *Hier. 9.* *3. Reg. 19.*

posuisset custodiam ad portas ædiũ suarum. Vide quàm malè cesserit mundo eò quod Eua oculos iniecerit arbori vetitæ: Non est licitum aspicere, quod non
3. Reg. 1. est licitum desiderare. Nisi Dauid aspexisset Bersabæam, non amisisset tot bona, nec cecidisset in tot mala. Vigilanter custodi sensus tuos. dicit Scriptura. Ocu-
Thren. 3. lus meus deprædatus est animam meã. fuit etiam occasio ad mortem ipsi Holo-
ferni. Sit tibi castitas pro fundamento, &
Iudith. 4. super eo ædifices alias virtutes, & cùm nullum vitium adeò turbet intellectum aut obtundat rationem sicut peccatum carnale: sic etiam castitas hominem asserit in libertatem, & subijcit sensum ratio-
Cant. 3. ni. Deus qui simplicissimus & castissimus est, pascitur inter lilia, quia delectatur munditia, & candore castitatis. Puritas creaturæ gratissima est Deo, & in ea lubentissimè conquiescit. Scriptum est: Nihil coinquinatum intrabit in regnum
Apoc. 21. cœlorum. Castitati potissimum tribuitur spiritalis pulchritudo animæ nostræ per subiectionem carnis spiritui. Dicit Sa
Sap. 4. piens: O quàm pulchra est casta generatio cum claritate. Immortalis est eius memoria & coram Deo & hominibus refulget, & assimulatur rosę, tum propter pul-
chri-

chritudinem, tum quod naſcatur & creſcat, & perſeueret tanquam roſa inter ſpinas. Ita naſcitur & in mortificatione carnis, periculumq; patitur inter voluptates. Moritur caſtitas ſine ieiunio, & temperantia: Imò miraculũ fuerit aliquem manere caſtum ſine ſobrietate. Ne ſis otioſus, ſi velis eſſe caſtus. Fuge conuerſationem diſſolutorum hominum, & para tibi in corpore mundo habitationem Spiritus S. Columba exiens arcam Nohe non inueniebat vbi requieſceret, niſi in cadaueribus, proinde reuerſa eſt ad arcam. Non habitat ſpiritus Domini in corporibus immundis, ſed in caſtis & mundis. Fuge tanquam peſtem vitia carnalia, vt anima maneat ſemper pura, & efficiatur ſponſa Chriſti. *Gen. 8.*

CAPVT XL.

De bono, quod amittunt mundani.

ET pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem, dicit Propheta de mũdanis. Mirum eſt, quod gloria omnium maximè deſiderabilis omni ſtudio ac diligentia non quæratur à nobis. Nihil eſt etenim, quod naturaliter adeò *Pſal. 105.*

adeò amemus, nec quod facilius amittamus, nec ob aliud perdimus bona immensa, & sic in hac vita priuamur consolatione spirituali, & altera, vita æterna. Multis bonis priuantur serui huius mundi, & quidem ingentibus consolationibus. Et quia complectuntur corruptibilia, priuantur conuersatione Iesu Christi & contemplatione illa diuina. Dolendum profectò homines esse sensu seu gustu adeò corrupto, vt res Dei suauissimæ ipsis sint fastidio, quales sunt diuina contemplatio & oratio: & inueniant scilicet gustum in insipidis, & amaris rebus huius mundi. Gustus amoris diuini est adeò delicatus, vt secum non compatiatur gustum voluptatum huius sæculi. Fœlicem illum qui solo amore diuino pascitur, & rapitur odore sanctarum virtutum. Fuge deinceps vanitatem huius mundi, quia quanto magis te ab eo elongaueris, tanto maiorem internam percipies consolationem. Et quanto minus conuersaberis cum mundo, tanto magis frueris amicitia Dei. Cur igitur non accedis Dominum? quid moraris? Dolendum certè quod rerum tam vilium amor te retinere queat. Mirum quòd vmbra bonorum huius vitæ tantum valeat,

vt te priuet gustu suauissimorum illorũ, & delectabilium bonorum alterius vitę. Nam quicquid amas in hoc mundo, nullius est momenti. Tu igitur solo amore Dei fac perfruaris, & bonis inuisibilibus, fac emas res immensas pro paruis, bona perpetua transitorijs, pretiosa vilibus, pulcherrima turpissimis, iucunda miseris, suauia amaris, & vt summatim dicam omnia pro re nihili. Ne patiaris te decipi rerum harum corruptibilium specie, nec intellectum tuum offundat honorum vanitas, & vitæ præsentis voluptas. Si vanitatem mundi contempseris, Dei amore perfrueris. Considera id exiguum quod Deus tibi præcipit, & multum quod promittit. Renuntia igitur rebus vilibus huius sæculi, & acquires margaritam illam pretiosam infiniti valoris. Cùm vita præsens sit instar puncti comparationi futuræ, quę erit perpetua, sperne hanc breuem & corruptibilem vitam, vt perfruaris illa æterna. Stultus is esset, qui cùm abundet magnificis palatijs vellet viuere in stabulo. Talis est hic miserabilis mundus, respectu gloriosæ & cœlestis ciuitatis. Omissis igitur omnibus contrarijs cogitationibus, cùm Deus suo sancto amore te inuitet, & pa-

radysi portas aperiat, absit vt adeò afficiaris vmbra bonorum huius vitæ, vt propter hoc priueris verissimis illis,&suauissimis bonis alterius vitę,ad quę perfruendum creatus es, vt ita viuas in hac vita tanquam in via,& in altera, sicut in patria in æternum regnes,

LIBER TERTIVS.

De vanitate mundi.

Qui declarat quomodo contempta eius vanitate seruire debeamus IESV Christo.

CAPVT I.

Quomodo mundus non satiet animam nostram.

Psalm.33. DIVITES eguerunt,& esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono, inquit Psalmista. Qui Deum habet omni bono abundat, qui verò Deum non habet pauper est. Extra Deum omnis delectatio mœsta,omnis lætitia est va-

vana, omnis rerum abundantia eſt paupertas & indigentia. Magna libertas eſt animæ non deſiderare res haſce mundanas. Solus Deus creator animæ noſtræ implet deſiderium noſtrum: vani ſunt omnes, qui quęrunt delectationem in rebus hiſce mundanis. Nihil eſt in hac vita, quod non plenum ſit amaritudine. Nihil eſt adeò pretioſum, bonum, aut delectabile, quod poſſit hominem reddere beatum, & liberare ab omni malo, niſi ſolus Deus tanquam ſolum bonum. Quicunque non habet Deum, pauper eſt. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, dicit Propheta: Principes verò huius mundi, quo potentiores videntur, tanto maiorem patiuntur neceſſitatem, & grauiora onera ſuſtinent. Solus Dei ſeruus dicere poteſt, nihil ſibi deeſſe. Qui regitur à Deo, ille ſolus lætus & tranquillus viuit. Dat mundus herbas ſiccas pecoribus ſuis inter ſpinas & tribulos paſcentibus, aquæ eius ſunt venenoſæ, & herbæ ſuæ intra ſe abſcondunt mortem. Porrexit dæmon primis noſtris parentibus cibum, eumque comedentes intoxicati fuerunt: comedit mundanus herbam delectabilem, & ſubitò ea comeſta moritur: paſcitur ho-

Pſal. 22.

Gen. 3.

noribus & diuitijs, ijſque illaqueatur. dicit Pſalmiſta. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Beatus ille qui paſcitur Deo, nec ponit fiduciam ſuam in homine. Fœlix ille, qui quærit Deum ex toto corde, & ab eo petit conſolationem. Inſtar hydropici ſemper patieris ſitim, nec vnquam ſatiabis appetitum tuum: quantumuis affatim bibas ex aqua honoris, & vanitatis huius mundi. Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno. Filius prodigus ſeparatus à Deo confitetur ſe mori fame. Vitium infert afflictionem voluntati, virtus verò adfert lætitiam & conſolationem. dicit Sapiens: Ne comedas cum homine inuido, nec deſideres cibos eius, quoniam ad ſimilitudinem arioli & coniectoris æſtimat, quod ignorat. quantumuis in vitijs aliquis dicat eſſe alimentum & ſatietatem, contrarium tamen eſt verum. Incantatores & nigromantici oſtentant hortum cum fructibus, quos ſi percipere velis nullos inuenies; ſic etiam mundus nititur perſuadere mundanis talia eſſe quę proponit, quę poſſint explere animum hominis, ſed nihil eſt. Anima noſtra non eſt ſimilis Chameleonti, vt paſcatur vēto. Aperit mundus

Pſal.72. *Pſal.144.* *Luc.15.* *Prou.45.*

dus

dus desiderium, extēdit & dilatat voluntatem suam, & nititur suos alere mero vento. Effraim, dicit Oseas, pascitur vento. Vanum id est, quod non implet locū, in quo est. Res huius mundi non implent, sed inflant animam nostram. Nón ne haberés pro stulto esurientem, qui aperiret os suum aëri, vt se satiaret vento? Nec tu es prudentior, qui vēto vanitatis mundanæ vis ánimo tuo satisfacere. Dicit Regius Propheta Deo de mundanis loquens: De absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Domini exponunt in publicum pretiosiora domus suæ, ornantes aulas suas sericis, viliores verò res abscondunt in certis angulis: sic Deus diuitias gloriæ suæ, & sancti sui amoris publicè exposuit vili pretio emptoribus, sed auri & argenti pulueres, tanquam viles recondidit sub terra. Mirum tamen est quomodo mundani ijs cupiant implere ventrem suum. Mundana ista sunt instar liquoris acerbi, qui non satiat, sed incitat appetitum ad sumendum plus cibi. Famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem dicit Psalmista. Circuibunt terram ad acquirendos honores & diuitias, non tamen propterea appetitū satiabunt. Dicit Aggæus mūdanis; Com

Oseæ 12. *Psal. 161.* *Psal. 58.*

Agg.1. ediſtis,& non eſtis ſatiati,operuiſtis vos, &non eſtis calefacti.Quantò plus rerum mundanarum hauſeris, tantò maior in te ſitis plura habendi excitabitur. Et eris inſtar illius,qui vellet explere ſitim com edendo ſal, & proijcientis oleum in ignem ad eum extinguendum. Adeò nunquam expletur ſitis iſta miſeria acquirendarum rerum mundanarum.

CAPVT II.

Quomodo Deus ſolus ſatiet animam noſtram.

APeri os tuum, & implebo illud. Poſtquam Deus commendaſſet populo obſeruationem præceptorum ſuorũ, dixit: aperi os,& implebo
Pſal.80. illud:Loquitur verò Dominus non de apertione oris corporalis, cũ quoduis exiguum illud implere poſſit, ſed de ore animæ,de deſiderio nimirum. Non poteſt mundus implere deſiderium animę noſtræ,ſed Deus ſolus creator noſter,qui dicit dilata deſiderium tuum, quia ego ſolus te ſatiare poſſum,non alius. Anima rationalis creata ad imaginem & ſimilitudinem Dei, alijs quidem rebus poteſt implicari,nõ autem impleri. In Deo ſolo

ſolo lætatur, & perfectè quieſcit fœlix illa anima, cui Deus eſt omnia, & extra Deo nihil illi eſt ſuaue & pretioſum, ſed amarum & acerbum. Nunquam anima noſtra habebit quietem, ſi quærit conſolationem in rebus terrenis. Vas quamdiu manet in aqua, non videtur eſſe graue, ſed ſubitò atque ex ea extractum eſt, grauitatem ſuã declarat. Ratio eſt, quia cùm ſit, vel ex terra, vel ex ea re, quæ prouenit ex terra, quamdiu eſt in aqua accedit ad proportionem elementi aquæ: ſic quàm diu es cum Deo mediante amore viuis lætus & hilaris es; ſed ſi mundum amas, recedis ab elemento tuo Deo nimirum, quo tẽpore omnia tibi videntur eſſe grauia, & moleſta. Si verò quieſcis in Deo, omnia tibi videntur eſſe facilia. Mali verò in honoribus inueniunt moleſtiam, in ignominia quietem. Sic in Deo ſolo eſt cordis lætitia, extra Deum verò nulla. Sicut corpus tuum non inuenit quietem: Si cogatur incumbere ligno alicui ſtricto, ſic anima tua non inuenit requiem aliquam in rebus huius mundi, adeò anguſtis. Si velis poſſidere vitã, conuertere ad Deum tuũ. Poſtquã creaſſet Deus hominem, dicit Scriptura, quod quieuerit, id tamen non dixit in creatione aliarum

Psal. 102. rerum, quia solus homo potest quiescere in Deo. Deus replet in bonis desiderium tuum: dicit Psalmista. Non quiescit appetitus noster nisi vbi peruenerit ad finem suum. Anima enim nostra ita est generosa, vt nihil eam explere possit nisi summum bonum, quare clamat Dauid dicens: *Psalm.* 41. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie? Vbi est Deus tuus? Cùm sanctus Propheta esset sine Deo, valdè sitiebat & desiderabat, vt perfectè ab eo satiaretur, iuxta illud: *Ioan.* 7. Qui sitit veniat ad me. Ne adijcias cor tuum huius sæculi vanitatibus, nisi malis viuere in perpetua afflictione spiritus. Ne ames gloriam temporalem, & frueris æterna. Si vis acquirere id quod desideras, sequere consilium Prophetę: *Psalm.* 36. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: eum solum ama, & eris lætus in hac vita, & in perpetuum in altera.

CA-

CAPVT III.

Ratio cur Deus solus satiet animam nostram, mundus verò minimè.

SAtiabor, cùm apparuerit gloria tua, dicebat Propheta Deo. Quicquid est in mundo exiguum est respectu animæ nostræ. Vas Dei capax non impletur vllis rebus, quæ sunt extra Deum. Cuius rei caussa est vanitas rerum mundanarũ. Res etenim huius sæculi ita occupant locum, vt videatur restare adhuc vacuus, nec magis satiatur anima nostra auro quàm corpus vento. Adeò parum explere possunt hæc terrena desiderium animæ nostræ, cùm sit quasi infinitum. Si quis putaret se posse volare ad cœlum sine alis, nónne stultum diceres? Sic etiam debes cogitare, quod omnes diuitiæ & honores huius mundi non possint explere animum tuum. Bona temporalia sunt escæ potius, quibus inflammantur cupiditates nostrę: Quemadmodum stultitiæ esset adhibere plura ligna igni ad extinguendum illum: sic etiam ingentis stultitiæ esset extinguere velle ignem desideriorum nostrorum lignis siccis bo- *Psal. 16.*

norum huius mundi. Ratio eſt, quia ni-
hil eorum, quæ ſunt in hoc mundo, ha-
bet proportionem cum anima noſtra. Fe
cit Deus nos propter ſe, manetq; cor no-
ſtrum inquietum, donec quieſcat in eo.
Omnia ordinata ſunt à Deo iuxta pro-
portionem naturæ ſuæ. Non ſatiatur e-
quus carne, neq; leo herba, cùm non con
ueniat naturæ ſuæ, Anima itaque noſtra
cùm ſit ſpiritus, quomodo ſatiabitur re-
bus corporalibus? Quæ communicatio
eſt auro cum ſpiritu? Nihil eorum quæ
mundus proponit, eſt animæ noſtrę con
forme. Chameleonti proponit ventum,
quo gaudet etiam ſuperbus: Anima ve-
rò non eſt Chameleon. Strutioni conue-
nit ferrum, ſicut etiam auaro; alijs lutum
vt hominib. carnalibus; alijs venenũ, vt
inuidioſis: & quia nihil horũ proportio-
nem habet cũ anima; non poteſt ſuſten-
tari reb. terrenis. Gratia & dona Spiritus
S. tanquam ſpiritualia præbent ſuſtenta-
tionem animæ noſtrę. Et quamuis ſuper
bia, inuidia & ſimilia vitia ſunt ſpiritua-
lia, non tamen prębet cibum ſpiritui no-
ſtro, vt nec multa corporalia ſatiant cor-
pus noſtrum. Quia ſolus Deus eſt alimẽ-
tum animæ noſtræ, non quiduis aliud,
cùm non habeat proportionem cum ani
ma

ma noſtra. Cur panis eſt alimentum noſtrum non venenum? Quia panis conuenit naturæ noſtræ, non venenum. Sic etiam quia ſolus Deus conuenit animæ noſtræ, ille ſolus appetitum noſtrum explere poteſt: quia nec ſua repletione extinguit deſiderium noſtrum, nec impedit per maius deſiderium. Aliud eſt in corporalibus cibis huius mundi, qui licet videantur ſaturare, eo ipſo tamen adferunt nauſeam atq; faſtidium. Ne affectes fieri magnus & potẽs, quia ibi eſt afflictio ſpiritus. In diuitijs verò & honoribus huius mundi, inuenies onera mera & ſolicitudines. Conuertere igitur ad Dominum Deum tuum, qui eſt cibus tuus, & vera ſuſtentatio, ſuſtentans & ſaginans animam tuam.

CAPVT IIII.

Quod in ſolo Deo inueniatur perfecta tranquillitas.

COnuertere anima mea in requiem tuam, dicit Pſalmiſt. Infirmus quauis lectorum mutatione nũquam quieſcit, niſi releuetur eo dolore, quo diſcrutiabatur. Tecum adfers infirmitatem amoris mundani, quouſq; eo te ſpo- *Pſal. 114.*

liaueris non inuenies quietem in lectis honorum, diuitiarum, aut voluptatum, sed solùm in Deo inuenies quietē. Conuertere ad Deum, & inuenies perfectam quietem. Ionas separatus à Deo, non inuenit quietem, & cùm confugeret ad nauem, incidit in tempestatem. Vbi est Deus non est tempestas, sed postquam Ionas oraret in ventre cœti, liberatus est à periculo maris, ne quietem quæras in rebus huius vitę. Nullum perfectum gaudium in hoc mundo, quia vndique pugnæ, intus timor. Tecum assiduam fers afflictionem, ne igitur quæras loci mutationem, sed animi. Conuertere ad Deum si vis esse quietus. Hoc est breue compendium acquirendæ salutis & tranquillitatis, quam appetit spiritus tuus. Sola spiritualia non temporalia adferunt perpetuam quietem.
Gen. 32. Quamdiu Iacob vixit cum Laban, fuit in perpetuis laboribus, sed postquàm ab eo discessit, accepit consolationem ab Angelis: Sic tu si seruias mundo inuenies solùm laborem & afflictionem. Quòd si volumus erui à malis, exeamus vnde ingressi sumus. Rursus si velimus adipisci bonum perfectum, intremus vnde exiuimus. Naturale est vt omnia re-

reuertantur ad id, vnde orta ſunt. In hac re conſiſtit perfectio. Taurus oppugnatus ſemper reuertitur ad portam illam, qua ingreſſus fuit in aream, idque ex inſtinctu naturali: Si tu quoque in ſeruitio mundi inuenies te periculosè oppugnari, exi vnde ingreſſus es. Vnicum remedium acquirendæ perfectionis eſt redire, vnde exieris. Et cùm Deus ſit vnicum principium, à quo cuncta bona procedunt (cùm omne bonum de ſurſum deſcendat) ſi velis inuenire quietem & gaudium, neceſſarium eſt, vt conuertaris ad Dominum. Nihil recipit perfectionem ſuam, niſi reducatur ad genus ſuum. Et cùm Deus ſit genus noſtrum & principium omnis boni noſtri, à quo omne bonum noſtrum procedit, non mirum ſi anima adeò vehementer deſideret Deum, vt ab eo omne bonum conſequatur. Omne verò bonum aut eſt Deus, aut venit à Deo. Aduentus regis ad terram aliquam ſterilem facit eam abundare omni commeatu, ſed per eius receſſum rurſus inuenitur ſterilis: ſic ſi Deus eſt in anima noſtra per gratiam, ibi eſt omnium rerum copia: ſed ſi inde abſit Deus, redditur anima ſterilis & arida. Per præſentiam Dei abundabis omni- Iacob. 1.

bus bonis, in eo inuenies quietem, sed extra eum nihil nisi laborem & afflictionem. Ægyptijs immittebantur muscæ curarum superfluarum, Israelitis verò tanquam populo Dei Sabbathum delectationum. Ingens tormentum adfert, terrenis desiderijs æstuare, maxima verò consolatio est nihil velle in hoc sæculo. Solus ille qui Deum habet est lætus: Qui verò rebus huius mundi inhiant, viuunt in perpetua afflictione spiritus.

Exod. 8.

Exod. 1.

CAPVT V.

Quod spes in solo Deo collocanda sit.

Psal. 16.

SPera in Deo, & fac bonitatem dicit Psalmista. Omnes creaturæ in necessitate deserunt te, quare vanitas est in eis spem tuam reponere. Si in hominibus spem & fiduciam tuam posueris, sæpè inuenies te deceptum, quia post longum seruitium solent dare malum præmium. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus, dicit Psalmista. Multum confidebat Aman in gratia, qua pollebat

Hier. 17.

Psal. 145.

bat

bat apud Regem Aſſuerum, qui tamen *Heſt.7*
citò mortuus eſt cum infamia. Adeò
parum prodeſt fuiſſe in gratia illa inſta-
bili, quæ ſi non ante, ſaltem interribili
illo mortis puncto prorſus euaneſcit.
Quid ſtabilitatis tibi polliceri potes
quæſo à baculo arundineo fragili, qua-
lis eſt homo, Scriptum eſt in Pſalmo.
Beatus homo qui ſperat in Domino:
Fœlix ille qui ex toto corde diligit De- *Pſal.83.*
um, & ponit ſpem ſuam in eo, ab an-
guſtia liberabit eum Dominus. Sed
quia vera ſpes fundatur in bona conſci-
entia, dicit Pſalmiſta: Non eſt ſatis ſpe-
rare in Deo, ſed etiam oportet bonum
operari, iuxta illud: Beatus, qui intel- *Pſal.40.*
ligit ſuper egenum & pauperem. ſpes
impiorum (inquit Sapiens) peribit, quia *Pro.10.*
non fundatur in bona operatione, im-
mò ſperare in Deo, & eum quotidie of-
fendere eſt temerariæ cuiuſdam præſum
ptionis. Spera in Deo, quia ſi ex parte tua
feceris, quod debes, ille per ſuam infini-
tam bonitatem dabit tibi gloriam, quia
nunquam deſerit ſperantes in ſe. De
anima Chriſtiana ſcriptum eſt: Ma- *Pro.31.*
num ſuam miſit ad fortia, & digiti eius
apprehenderunt fuſum. In colo reſtat
quod nendum eſt; & in fuſo id, quod
neue-

neueris. In fuſo reſtat quod perfectum eſt; in colo verò quod reſtat faciendum. Ille attingit fuſum digito, qui ſperat in Deo præcedente bona operatione; ille verò adhibet manum colo, qui ſperat in opere futuro. Vanitatis eſt viuendo malè, ſperare in pœnitentia, quam ſcilicet facturus es, cùm neſcias, vtrum vltra diem hodiernum victurus ſis. Iam iam debes bene viuere, & ſperare Deum daturum tibi gloriam, quam nunquam denegauit obtemperantibus mandatis e-

Oſeæ 12. ius. Spera in Deo tuo ſemper, dicit ſcriptura, & liberabit te ab omnibus tentatio-

Prou. 3. nibus tuis, cùm in Prouerbijs dicatur eſſe ſcutum eorum, qui ponunt fiduciam

Pſal. 111. ſuam in eo. Sperauit in Domino Dauid,

Pſal. 27. & adiutus fuit. Beatus homo, qui timet Dominum, ab auditione mala non timebit. Fœlix ille, qui non decidit ſpe ſua: fœlix ille, cui Deus eſt fortitudo ſua, quia ſpes in tempore tribulationum non erit

Eccleſ. 2. vana. dicit Eccleſiaſticus: Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt: Quis enim permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt? Nonne æquum eſt, vt infirmus ſpem ſuam ponat in medico, qui ſanat omnes infirmitates. Dominus

eſt

est (inquit Propheta) qui sanat omnes in firmitates tuas, & propè est omnibus inuocantibus eum. *Psal. 144.*

CAPVT VI.

De amore Dei.

DIliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, dicit Dominus: vt hoc facias, non satis est abstinere à via mala, sed etiam per viam bonam incedere, per detestationem vanitatis huius sæculi. Ama Deum tuum solum. Non potes viuere sine amore, cùm igitur debeas diligere, dilige id, quod maximè suaue & iucundum est. Non debet ita amari mundus, vt illud vergat ad offensionem amoris Domini. Quæ enim proportio est excellentiæ Dei ad vilitatem mundi? Nam sicut Deus infinitè excedit suas creaturas, sic sanctus eius amor sine comparatione excellentior est quouis altero amore. Cuius debet esse fructus, nisi illius, qui arborem plantauit? dicit Apostolus. Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quem debes diligere nisi *Matt. 22.* *1. Cor. 9.*

cum,

eum, qui vires diligendi tibi dedit? Eum solùm debes diligere, à quo accepisti potentiam diligendi; fuge corruptelam mundi, amorem verò Dei amplectere. Ad amorem Dei tanquam ad sacram anchoram confuge. Hic amor est mons
Gen. 19. ille, de quo dixit Lotho vbi se saluaret, nisi vellet comburi cum Sodomitis. Sic tu ô anima Christiana fuge maledictionem huius mundi, nisi velis incurrere suarum passionum ardorem. Nihil te magis abstrahit à rebus huius sæculi, quam amor Dei, sed quia cor tuum non attigit vel fauilla amoris diuini, fit vt adhuc capiaris gustu corruptibilium bonorum huius mundi infœlicis. Vnde tot curis & tribulationibus affligeris, nisi quia non amas DEVM?. Vtinam gustasses vel exiguam aliquam partem suauitatis spiritus eius. Proprium est amoris illud solùm magnifacere, quod quis amat, adeò, quod præ illo parui ducat, vel diuitias, vel nominis existimationẽ, vel vitam. Omnium obliuiscitur, modò consequi possit illud, quod amat. Tu itaque, qui profiteris te amare Deum, in hoc solum incumbe, vt omnib. alijs rebus huius mundi postpositis, totum te occupes in illius seruitio. Ita se gerebant Sancti olim.

lim toti transformati in Deum, obliti suijpsius, & rerum mundanarum, vt propter hoc vulgò iudicarētur, quasi sensus communis expertes, & stulti. Attende ad hoc potissimum, vt bene conueniat tibi cum Deo & anima tua, quasi non esset aliud sub cœlo, & quasi tu ipse nihil esses, iuxta illud: Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Non ita afficiaris rebus huius sæculi, tanquam in ijs poneres vltimum finem tuum, cùm in Deo perfectè inuenies, quicquid posses amare in mundo. Si rem pulchram amas, cur Deum nō amas omnis pulchritudinis fontem? Quod si bonitas est obiectum voluntatis nostræ, quid melius Deo? Nullus bonus, nisi solus Deus, purè bonus in sua essentia & substātia. Bonitas Creaturæ eatenus est bona, quatenus participat guttulam pelagi infiniti bonitatis immensæ sui creatoris. Si itaque amas creaturas ob exiguam aliquam eius bonitatem plurimis imperfectionibus infectam, cur Deum non amas essentialiter bonum, & purum bonitatis actum? Quanto aliquod corpus minus habet de materia, tanto leuius est, & agilius ad se eleuandum ad altiora: Sic è contrario, quantò magis onustus fueris amore

Gala. 2.

Luc. 18.

more rerum terrenarum, eò difficilius ascendes per charitatem ad Deum. Vbi minus est passionis inordinatæ, ibi est perfecta charitas. Qui verò Deum perfectè amat, nihili facit rerum mundanarũ vanitatem.

CAPVT VII.

De amore proximi.

Matth. 22. Diliges proximum tuum sicut teipsum, dicit Deus. Ita coniunctus est amor honestus proximi amori diuino, vt eodem amore, quo amas Deum, ames & proximum tuum. Vterq; ex eadem radice procedit, & sunt inseparabiles. Eodem amore habituali, quo amas Deum, amas & proximum tuum. dicit Apostolus: Qui diligit proximum legem adimpleuit. *Rom. 15.* Non potes separari à proximo, nisi te separes à Deo. Omnes lineæ Sphęræ tangentes centrum, quod est punctum medij, se inuicem tangunt.

Nulla harum linearum separatur à centro, nisi separetur à lineis coniunctis, nec fieri potest, vt separentur à lineis, nisi separentur à centro. Non poteris aliquo mo-

modo ſeparare te à proximo tuo, quin ſimul ſepares te à Deo. debes compati proximo in tribulationibus. Non ſibi lacerauit Iob veſtes, nec grauiter conqueſtus eſt de iactura bonorum ſuorum, ſed de morte filiorum: Multi tamen ægrius ferunt damna bonorum temporalium, quàm mala proximorum. Permittit interdum Deus, vt ad ſalutem animæ tuæ, iacturam facias in bonis temporalibus, doleas tamen magis de aduerſitate proximi tui. Cùm Deus crearet omnia, veluti arbores, plantas, & animalia, à quibus omnia producerentur ſecundum ſuam ſpeciem, maſculum creauit & fœminam, è quibus omnes homines propagarentur, vt cùm viderent ſe ex vna radice prodijſſe, multò magis ſe inuicem diligerent. Laudauit Deus diem primum, & omnia quæ creauit, ſecundum verò diem non laudauit: quia auerſatur omnem diuiſionem & diſcordiam, amat verò vnitatem. Non ideò minus diligas proximum, quamuis tibi videatur durus, ac moleſtus, quia durius tibi longè præceptum fuiſſet, ſi præcepiſſet, vt eum odio haberes: Quia amare cōuenit naturæ noſtræ, odiſſe verò repugnat, nunc præcipit nobis Deus,

Iob. 1.

Geneſ. 1.

ea ad quę à natura inclinamur. & quemadmodum difficilè est aquæ, vt in altum saliat, sic durum nobis fuisset odio habere proximum. Quod si difficilè tibi fuerit amare proximum; peius erit ardere in inferno. Elige igitur ex duobus alterum, si non amaueris proximum infallibiliter ardebis in inferno. Infœlicem eum, qui potius mauult ardere in inferno, quàm diligere proximum. Dilige proximum, etiam te odio persequentem, & eris Dei filius, si filius, & cohæres illius regni cœlestis, quo perfruêris in æternum.

Matt. 5.

Roma. 8.

CAPVT VIII.

De amore inimicorum.

Matt. 5.

Luc. 6.

Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos, dicit Dominus, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis. Filius Regis æquo animo fert pædagogum docentem, & repræhendētem. Nullus vtilior pædagogus inimico, qui curam habet vitæ tuæ, quique, subitò atque culpam admiseris, eam repræhendit. Si vis esse cautus, roga Deum, vt mittat inimicum tibi, qua-

qualem ſi habes, non opus eſt alio Magiſtro, cui debeas ſtipendium ſoluere. Coram inimico ponderas verba tua, quia ſubitò atque lapſus fueris, repræhenderis, ſed ſi careas inimico, dicis & facis quæcunque libet. Denique inimicus eſt tanquam frenum peccati: Amicus verò eſt tanquam operculum peccati. Per amicum offendis DEVM, per inimicum verò facis officium. Inimicus eſt veluti horologium, quo componenda eſt vita tua: plus boni recipis ab inimico, quam ab amico, vt meritò illum honorare debeas, qui te facit bonũ, prudentem, & cautum. Si vteris virgula, vt ea excutias puluerem ex panno, cur non honorabis inimicos tuos, qui excutiũt pulueres defectuum tuorum. Aſſur virga furoris mei, dicit Dominus per os Prophetæ Eſaiæ. Ne virgam talem quæſo inijcias igni, nec pluris facias diuitias, quàm propriam animam tuam. *Eſa.10.* Cùm amici nos laudant, & populus magnificat, inimici nos humiliant, & opprimunt, ne incidamus in ſuperbiam. Si proſperitas nos excæcat, inimici nos perſecutione ſua illuminant, & cùm inimicus nos meliores reddat, magni illum facere debemus. Inimici ſæpè dicunt veri-

veritatem, quam amici dicere non audent. Et cùm amicus tibi profit, noceat tamen animæ suæ, infirmitati eius certè compati debes. dicit Psalmista: Quoniã
Psal.68. quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Addit dolorem doloribus, qui iniuriam facit iniurianti. Morienti vitam adimit, qui odio habet inimicum suum. Magnum quid profectò, si diligis amicũ, cùm etiam Ethnici hoc faciant: Sed diligere inimicum, hoc demum est veri &
Matt.5. Euangelici Christiani. Venenum quidẽ est malitia inimici tui, sed ex veneno fit theriaca, sic etiam ex malitia inimici tui, potes medicinam conferre animæ tuæ. Tu interim cibũ des inimicis esurientibus, vestem nudis, & eleemosynam inimicis pauperibus: ex hisce materialibus conficies theriacam, quæ sanet omnes infirmitates spirituales.

CAPVT IX.

De amore proprio.

Gen 12. EGgredere de terra tua, & cognatione tua, & de domo patris tui, dicit Dominus Abrahamo Patriarchæ.

Relin-

Relinquendæ tibi omnes affectiones terrenæ, ne plus tua ames quàm ea, quæ sunt Iesu Christi. Relinque amorem harum rerum visibilium, propter amorem rerum inuisibilium & cœlestium. Euelle herbas malas radicitus, ne rursus nascantur. Amor proprius peruertit iudicium, offuscat rationem, obscurat intellectum, corrumpit voluntatem, & claudit portã salutis. Non cognoscit Deum, nec proximum, proscribit virtutes, affectat honores, & amat mundum. Qui sic amat vitam suam, perdit eam, dicit Dominus. *Ioan. 12.*
tam suam, perdit eam, dicit Dominus. *Heb. 12.*
Radix omnis iniquitatis, est amor proprius. Esau, Saul, & Antiochus non consecuti sunt veniam peccatorum suorum, etiamsi lachrymis defluentibus eam peterent à Deo, quia pluris faciebant proprium damnum, quàm Dei offensionẽ. Quære igitur Deũ in omnibus operibus tuis, & spẽ tuã in Deo solo repone. Amor proprius est veluti cor in corpore, quod imperat & regit carnem, & neruos, & venas. Cur appetis honores, diuitias & voluptates, nisi quia amore proprio laboras? Contemptus suijpsius facit hominem gratum Deo, & hominibus. Amor proprius est instar proditionis, quæ meretur mortem, & bonorum amissio-

1. Reg. 15.
2. Mach. 9.

nem. Si regnat in te amor proprius, facis, quod lubet, non id, quod prodeſt. Cæcus es & indignus, cui fides adhibeatur. Fuge propriam voluntatem. Si ceſſaret propria voluntas, ceſſaret infernus, ceſſaret omne tormentum. Aufer propriam voluntatem, & non erit materia tormenti, non prius finem habituri, donec propria voluntas penitus ſit conſumpta. Cur incedis duabus vijs, cùm non poſſis amare Deum, niſi ſublata voluntate propria! Gemma pretioſa alicui metallo inſerta amittit vim ſuam, in auro verò multum valet. Et cùm amor ſit inſtar gemmæ pretioſę, ſi teipſum amas, eum perdis, auges verò, ſi Deum amas. Quia familiariorem te tibijpſi nimiũ præbes, amas teipſum, ſi verò familiarem te præberes Deo, eum amares. Natus in paruo tugurio, adeò excæcatur, vt videatur ſua terra, quamuis ſterilis alioquin, fœcundiſſima. Tantum quæris proprium commodum, adeò te inordinatè amas, & profectò nimia familiaritas erga teipſum huius inordinati amoris cauſam præbet. Quod ſi Apoſtolus Paulus adeò amabat Chriſtum, vt diceret nihil inueniri, quod ipſum ſeparare poſſit à charitate Chriſti, ne mireris cùm ipſemet dicat no-

2. Reg. 8.

Rom. 8.

ſtram

ſtram conuerſationem eſſe in cœlis. Valdè familiaris erat Apoſtolus Deo, parum ſibijpſi, ac propterea multum amabat DEVM, parum verò ſeipſum. Iacta cogitatum tuum in Dominum, teque totum tradas orationi, meditationi, & contemplationi; quod ſi continuè feceris, fieri non poteſt, quin ames DEVM, cùm iam cognoueris, quis ſit Deus. Duo amores ædificant duas ciuitates, amor Dei contemptum ſuijpſius; amor verò proprius contemptum Dei. Voluntas media eſt inter te & Deum, quantò vicinior es tibi, tantò longior diſtas à Deo per amorem tuijpſius: quantò verò vicinior es Deo, tantò longius diſtas à teipſo per contemptum tuijpſius. Si duo iſta pronomina Meum & Tuum ceſſarent, non eſſent tot diſcordiæ in mundo: Sed quia plures amant proprium bonum, quàm commune, non deſunt defectus in Republica. Dicit Apoſt. In nouiſſimis diebus erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, &cæt. Adeò amor proprius cauſa eſt omnis mali, & fundamentum. Nihil ita nocet homini, ſicut propriæ voluntatis affectus. Aufer funda-

Phil. 3.

2. Tim 3.

Iosue 9. mentum amoris proprij, & cadent muri Hiericho, id est, vanitates huius sæculi & stultitiæ, quibus deditus es.

CAPVT X.

De abnegatione suijpsius.

Luc. 6. QVI vult venire post me, abneget semetipsum, dicit Dominus. Via perueniendi ad Christum, inuenitur per victoriam propriæ voluntatis, æquanimiter ferendo tribulationes, & nō quærendo proprium commodum. Verus Dei seruus non quærit propriam vtilitatem, sed gloriam & honorem Dei. In omnibus bonis operibus stude placere Deo, & de manu sua maiora bona recipies. Ille sit principium & finis omnium tuarum operationum, ne amittas fructum laborum tuorum. Amor proprius pestis perniciosissima. Qui quærit seipsum, seipsum perdet. Bona opera in Deo facta conscientiam exhilarant, intellectum illuminant, & gratiæ augmentum merentur. Multi spernunt res exteriores, quas possident, non tamen propterea perueniunt ad perfectionem Euangelicam, quæ consistit in sui ipsius

&

& propriæ voluntatis abnegatione. Verus Iesu Christi seruus, non solùm parui ducere debet bona temporalia: sed etiam continere seipsum, ne impediatur in via cœlesti, per quam incedit. Discat per gratiam Spiritus Sancti vincere seipsum, quisquis anteà per eius inspirationes spernit res mundanas. Hæc est perfecta renunciatio seipsum ex animo spernere, & non quærere consolationem creaturarum. Si quæris aliquod bonum proprium aut temporale, non es perfectè mortificatus, nec mereris accipere consolationem diuinam. Multi exteriori deuotione & spiritus consolatione impulsi, inceperunt cum feruore, sed ad exiguum tempus perseuerârunt. Quærebant in oratione suam propriam consolationem, qua videntes se priuatos, tanquam essent priuati suo fine desiderato, conuerterunt se ad res mundanas, quas iam reliquerant, parum proficientes, quia non perfectè superârunt seipsos, nec sunt verè mortificati, cùm non relinquant seipsos. Solùm Dei obsequiũ ob oculos ponas, quod si non inueneris in te consolationem, modò tibi persuadeas eam esse voluntatem Dei, iam summa te affectum consolatione credas.

Si vis proficere in Dei seruitio, disce abnegare teipsum, etiam in omnibus rebus. Multi sese abnegant in certis rebus, non verò in omnibus: obediunt vbi illis placet, & in ijs, quæ animo suo repugnant, inueniunt seipsos. Tu verò in omnibus, & per omnia te debes transformare in Deum, abnegãdo teipsum propter eum.
Matth.5. Ille sollicitus negotiator vendebat quicquid habebat, ad comparãdam margaritam.
Act.4. Ananias & Zaphyra subitanea morte perempti sunt, quia partem pretij agri dederant Deo, altera parte sibijpsis reseruata. Tu verò si Deo vis seruire omnia vendere debes, neque quicquam tibi reseruare. per abnegationem propriæ voluntatis Dei voluntas super nos dominium accipit, & sic hominis voluntas transformatur in voluntatem Dei, cùm homo paratus est pati omnes aduersitates ob amorem Christi. Si adeptus fueris perfectam victoriam tuijpsius, exiguo tempore multum profeceris. Non quærebat Christus Iesus gloriam suam, sed tuam. Non descendit Dominus cœli in terram, vt quæreret proprium commodum, sed solummodo tuum. Cur etiam non quæris non teipsum, sed eum, qui oblitus suijpsius se totum voluit tradere pro

pro te. Honesta est illa sponsa, quę nemini vult placere, nisi sponso suo. O castam illam animam, quę nihil aliud desiderat, quàm vt placeat spõso suo Iesu Christo, fœlicem illam animam, quę soli Deo placere desiderat, nec alium amorem in terra quærit. Bonus est ille sponsus, & omni amore dignissimus. Omnia igitur relinquere debes, etiam teipsum spernere & abnegare, vt fruaris amicitia Iesu Christi.

CAPVT XI.

De contemptu suijpsius.

DEponentes omne pondus per patientiam, curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei & consummatorẽ Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, dicit Apostolus. Decet te mortuum esse, & alienum ab omni inordinato affectu laudum humanarum, honorum, & fauorum, & desiderare ab omnibus contemni, & confundi, pauci sunt, qui quærunt has virtutes. Si reperiuntur, qui non ambiunt honores, pauci tamen sunt, qui ex animo affectent contemni, & vexari. *Heb. 12.*

xari. Si hæc toto corde appetieris, Deus ea concedet. Quod si nondum miserit tibi aduersitates, hoc ideò fit, quia nouit imbecillitatem tuam, & quia es adhuc parum mortificatus. In nulla re ita promptus est Deus, quàm in imponendo labores & tribulationes ei, qui verè est mortificatus, quia scit in eo consistere summum meritum, cuius compotes esse cupit suos amicos singulares. Omnia quæ vis & potes à Deo expetere, quæ non ordinantur ad nudam mortificationem, & contemptum suijpsius, ob amorem Dei, sunt inuoluta naturæ & amori proprio. Et quamuis ex vna parte repulsam passus sit amor suijpsius, reuertitur per aliam partem, quærens seipsum, etiam ex improuiso, vt illum vix discernere possimus: & quoniam existimamus nos esse sine nobis ipsis, facilè inuenimus nosipsos. Hinc fit, vt tu, qui appetebas magnas aduersitates, animo tamen deficias, ob rem exigui momenti, quia nondum venisti ad perpetuum contemptum tuijpsius; latebat enim amor proprius, & dum tangeretur, resurrexit. Ita etiam si dormias interdum, non tamen propterea cogites te iam planè esse mortuum: fœlicem eum, qui adeò

adeò mortuus est sibi ipsi, vt desideret contemni ab omnibus. Exemplum mortificationis perfectissimum dedit Dominus, cùm in cruce diceret: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me. Sic etiam seruo Dei æquanimiter ferendum est, si interdum sentiat se derelictum, & veluti quauis sensibili deuotione priuatum. Absurdum est quoque ponere vltimum suum finem in orationis mentalis sensibili deuotione. Et cùm Dei seruitium tibi potissimum spectandum sit, ad perfectionem hanc aspira, quæ consistit in amore essentiali, quo tibi bene conueniat cum eo, ita vt eius voluntatem facias in omnibus per contemptum, & mortificationem tuijpsius, & quidem in recta intentione propter solum Deum. Fœlix ille, qui ita est mortificatus, vt sit peratus pati omnes pœnas inferni propter amorem Dei, modò possit esse in eius gratia. Fœlix ille, qui paratus est priuari omni gratia sensibili, omniq; deuotione, & consolatione, æquè atque illas à Deo recipere. Fœlix ille, qui accensus igne amoris essentialis diuini, & qui ex animo desiderat amore quouis sensibili nudari, contentus solo essentiali. Fœlix ille, qui ex intimo cordis desi-

Matt. 27.

derat imitari Christum Iesum in cruce seclusa omni cõsolatione bonorum tam temporalium, quàm spiritualium. Multi cùm sint priuati his spiritualibus consolationibus reddunt se pigros, segnes, & melancholicos, sed lætari, quamuis sentias te priuatum internis inspirationibus & suauitatibus quibuscunq; , est puri amoris signum. Fœlix illa anima, quæ sic est mortua sibijpsi, vt viuat sine hisce peregrinis affectionibus: quæ pura erit à peccatis, quieta in corde, libera à molestia, priuata omni honore, ornata virtutibus, clarificata in intellectu, eleuata in spiritu, vnita cum Deo, & æternaliter beatificata.

CAPVT XII.

De victoria suijpsius.

MIlitia est vita hominis super terrã, dicit sanctus Iob. Non potes viuere sine prælio: vbicunque fueris habebis bellum, quia in teipso fers, qui tibi contradicat. In vno homine ponit Apostol. duos homines, & tam coniunctos, vt neuter possit consistere sine altero, & sic inter se diuersos, vt vita vnius sit mors alte-

2.Cor.4.

alterius. Ita inter se sunt concathenati, vt cùm sint duo, vnus tamen sit, & vnus duo. Inter hos duos homines omne vitę negotium transigitur. Quare Apostolus illis diuersos titulos imposuit, vocans vnum spiritum, alterum carnem; vnum animam, alterum corpus; vnum legem mentis, alterum legem membrorum: vnum hominem interiorem, alterum exteriorem. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis, dicit Apo. si secundum carnem vixeritis, moriemini, si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Mirabile profectò bellum, quod in eo quæratur pax, & in pace bellum, in morte vita, & in vita mors, in seruitute libertas: & vis boni hominis declaratur in victoria suijpsius, & subiugatione suarum passionum. Refrenare cupiditates est animi robur, easque sequi è contrario est animi debilitas: fortior iudicandus is, qui vincit desideria, quam qui vincit hostes. Vis acquirere magnum dominium? dominare tuijpsius. dicit Sapiens: Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. Multi expugnant ciuitates, sed pauci vincunt seipsos.

Gal. 5. Rom. 8. Gal. 5. Prou. 16.

Ecce dominium suijpsius, est obtinere imperium. Si teipsum perfectè viceris, facilè omnia alia viceris. Ille est bonus & strenuus miles, qui seipsum vincit. Ille verus est Iesu Christi seruus, qui subijcit carnem spiritui, & sensualitatem rationi. Quod si victus fueris, id tuæ culpæ asscribito. Si corpus tuum educaueris in otio, cibo & potu, opprimetur anima tua à corpore. Dicit Apostolus: fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari, &c. sed faciet cum tentatione prouentum. Solent iudices arma eorum, qui ingrediuntur duellum, ad æqualitatem redigere. Hoc sanè facit Deus æquissimus arbiter, qui non patitur nos vltra tentari, quàm possimus. Si duo in omnibus æquales ingrediuntur duellum, is vincet, qui secum habet auxiliatorem. Si foues corpus otio; cibo & potu, & somno, corpus quidem vincit, anima verò opprimetur à corpore. Sed si iuuabis animam vigilijs, & orationibus, facilè cum Dei gratia opprimetur caro. Nonne melius est, vt superet anima, qua simul vtrumque seruetur, quàm si vincat corpus, & vtrumque tandem æternaliter pereat? Si amas carnem, subijce illam rationi, nec nimium illi

1. Cor. 10.

illi indulgeas. Qui amat, odit: & qui odit, amat. dicit Christus Iesus: Qui odit animam suam (sensualem nimirum) seruat eam: & qui amat eam, perdit. Vides igitur quanto gloriosior sit victoria animę, & quantò plus lucreris subiugando passiones tuas. Iuua animam tuam, si sapis, redigendo sensualitatem in obsequium spiritus, quia est breuis conflictus, gloriosa victoria, & fœlicior corona. Ne fugias laborem, si vis præmio affici. Præmium non datur, nisi certantibus, esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, inquit Dominus. *Ioan. 12.* *Apoc. 2.*

CAPVT XIII.

De cognitione suijpsius.

INuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, inquit Apostolus. Si in quauis creatura ostenditur magna Dei sapientia & omnipotentia, maximè tamen in homine, qui creatus est ad imaginem & similitudinē Dei. Multi multa sciunt, & tamen seipsos nesciūt: vidēt alios, seipsos verò prętereunt: quęrunt Deum in rebus exterioribus, neglectis interiorib. vbi maximè reperitur Deus. Ingredere cordis tui interiora, vbi maximè reperitur Deus. Quoq; magis no- *Rom. 1.* *Gen. 1.*

noueris teipſum eò perfectius cognoſces Deum. Et quamuis ex cognitione nobilitatis animæ illuſtrior reddatur cognitio magnitudinis Dei, nihilominus ad deprimendã ſuperbiã tuam ſubinde tibi ob oculos pone corporis miſeriã & præſentis vitæ breuitatem, eamque veram viam exiſtima perueniendi ad Deum.

Prou.1. Per cognitionem tuijpſius te humiliabis, & ſic timebis Deum, & cum timor Dei ſit principium ſapientiæ, incipiendũ tibi eſt à cognitione tuijpſius. Si vis ſcire quis ſis, inſpice ſpeculum. Speculum hominis eſt alius homo. Si quis alius eſt terra, cinis, & vermis; talis etiam tu es, quantumuis videaris tibi eſſe diues & honoratus. Et ne decipiaris. Ne te inſpicias in ſpeculo concauo, quod repræſentat imaginem per contrariũ, ſed in ſpeculo plano, quod repræſentat veritatem hominis. Si inſpexeris teipſum in interiori parte cochlearis ſplendentis, videbis faciem tuam inuerſam. barbam ſurſum erectã & faciem deorſum: Sic in homine ſunt duo ſpecula & ſtatus, vnus eſt vitæ, alter mortis. Vita eſt ſpeculum concauum, quod oſtendit imaginem per contrariũ. Oſtendis te ſanum, robuſtum, fortem. & longæuum, quod eſt vanitatis. Si reſpi-

cias

cias ad iuuentutem recentem, ne ponas in illa fiduciam, alioqui decipieris. Vana est gratia, & fallax pulchritudo fortis, cũ sit debilis. Videtur hęc vita fallax esse magna hominib. cùm contrariũ sit verum. Sed mortis status est speculũ planũ & verum, quod mõstrat res, vt sunt sine fraude. Si vis videre qualis sis, inspicias hominem nõ viuum, sed mortuũ. Ibi videbis te esse terram, cinerem, & omnem turpitudinem, cloacã falso quodam colore à vita commodato infectam. Ibi videbis stirpis tuę fundamentum, & q̃ latum sit tuum dominiũ. Quod tu es, hoc tui maiores fuerũt, & quod illi sunt, paulò post tu eris. Si bene inspexeris teipsum, inuenies materiã contẽnendi teipsum. Quid es, quoad corpus nisi vas corruptionis? Quid verò secundum animã, postposita Dei gratia, nisi inimicus iustitiæ, hæres inferni, amicus vanitatis, operator peccati, contemptor Dei, & creatura aptissima ad omne malum; inhabilis verò ad omne bonum? Quid es, nisi animal prorsus miserabile in tuis cõsilijs, cæcum in vijs, ignorans in verbis, vanum in operibus, defectuosum in appetitibus spurcum, denique in omnibus vile, & solũ in æstimatione magnum. Proinde si studueris

tui-

tuijpſius cognitioni, non eris ſuperbus, non ambitioſus, non contemnes alios, eris patiēs in iniurijs, cùm ſis miſerabilis peccator, & dignus qui ab omnibus con temnaris. Noſce teipſum, tanquam à cœlo admonitus. Quid prodeſt ſcire ſeptem artes liberales, ſis licet Doctor in omnibus diſciplinis, niſi cognoſcas teipſum? Melius eſt ſeipſum noſſe, quàm omnes ſcripturas. Egreſſus es flens ex vtero matris, & conceptus in peccatis: vndecunq; inuolutus periculis tendis ad ſepulturã.
Iob.30. Dicit Iob: Comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum fauillæ & cineri. Penetra pri
Apoc.3. mum lucem Dei, vt diſcas, quiſnam ſis. Tu verò dicis, quia diues es, & nullius eges, & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, pauper, & cæcus, & nudus.

CAPVT XIIII.

De miſeria humanæ conditionis.

Iob.13. HOmo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miſerijs. Quid homine miſerius? Nónne corpus, quod amas, aliquãdo putreſcet? Quid horribilius homine mortuo? Nónne ſtatim odioſus fit omnibus poſt mortem, quãtumuis propinquis amicis?

micis? An non ſtatus, in quo viuis, ſeruitus eſt quædam infœlix? Miſerũ eſt naſci ſeruum, viuere & mori ſeruũ. dicit Pſal. In iniquitatibus cõceptus ſum. O vitam tot periculis & laboribus circundatam. Poſt vnam voluptatem ſequuntur mille dolores, vt hæc vita potius mors, quàm vita dicẽda ſit. Quid vilius homine? cùm cogatur mendicare victum & veſtitum à beſtijs, & panem lucrari ſuo ſodore, quæ omnia alia animalia pleraq; ſecum adferunt, vt non opus ſit ea aliunde requirere. Quibuſdã animalibus alæ ſeruiunt ad volandũ, alijs vngues & dentes ad ſe defendendum & percutiendum: alijs pedes veloces ad effugiẽdum pericula; quibus homo priuatus eſt, cùm neceſſe ſit, vt pleraq; alia etiam à minoribus animalibus petat, vt hinc meritò ſeſe humiliare debeat, & omnem ſuam ſuperbiã deponere, Non eſt homini pax, cùm nõ poſſit ſemper quieſcere, nec ſemper vigilare. Cùm videtur eſſe ſanus, tunc varijs infirmitatibus premitur: patitur famem, ſitim, defatigationes & alias neceſſitates diuerſas, vt frigus, æſtum, tempeſtates, ſagittas, tonitrua, peſtem, venena ſerpentũ, pericula in mari, pericula in terris, dolores & infirmitates varias: deniq; mortẽ ipſam. Heli ſibi

Pſal. 50.

I. Reg. 4.

ſibi ſecurus videbatur in hac vita, & tamen in ſua ſella ſedens cecidit, & ſtatim mortuus eſt, vt videas nullum in terra locum ſecurum reperiri. Nónne ſomnus, licet ad quietem ſeruiat, plenus eſt falſis imaginibus & vanitatibus? Cæcitas mera eſt & ſtultitia amare hunc mundum, tot miſerijs plenum, in quo ſi aliquid boni reperiatur, illud innumeris laboribus & tribulationibus permixtum eſt, vergitq; ad initium perpetuarum calamitatū inferni ijs, qui diligunt mundum. Facilius eſt pati quodlibet tormentum, quàm expectare: Et cùm quotidie expectes ſententiam mortis, & noris vitam, quam viuis, eſſe miſerabilem, imò nō eſſe dicendam vitam, vt nec mors propriè dicēda mors ſit, ſed ſomnus; voluit Deus eam laborioſam hominibus facere, vt illā exoſi aſpirarent ad alteram. Porrò hęc vita tibi cōmodata fuit pro naui, in qua tanquam peregrinus aliquandiu nauigando in periculis huius mūdi, cogereris aſpirare ad alteram vitam, tanquam ad portum glorioſiſſimum & ſempiternum. Si hęc vita fuiſſet iucunda & proſpera, adeò ad ſui amorem attraxiſſet hominem, vt eum in obliuionē alterius vitæ, ad quam creatus fuit, impulſura fuiſſet. Mala multa & mi-

miseriæ, quas continuè pateris, te inuitant ad amorē paradysi. Molestiæ huius vitæ cogunt ire ad Deum. Et cùm tot angustijs premaris, mirum, quomodo miserrimam hanc vitam adhuc relinquere non audes. Quæso ne momentaneis huius vitæ rebus cor tuū amplius adijcias. In hac vita Deus te assiduæ cuidam pugnæ obiecit, in qua vincendo consequaris coronam perpetuam, voluitq; hanc vitā esse laboriosam, vt cùm sciret te adeò studiosum esse quietis, amares veram illam quietem cœlestem & sempiternam.

CAPVT XV.

De cognitione Dei.

NVn autem oculus meus videt te, & idcirco ipse me reprehendô, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere, dicit S. Iob Deo. Cùm creatus sis, ad *Iob.42.* cognoscendum Deum aperi oculos tuos & disce, quod à cognitione Dei procedat cognitio suijpsius, & è conuerso; Ac propterea dicebat Iob: Et oculus meus *Iob.42.* videt Deum, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Ex cognitione Dei moueris ad colendum eum. Quod si nōdum

eum

eum cognoſcis, videris ei ſimilis, qui dū tranſit propè regem, eumque quaſi non cognoſceret, tantùm abeſt vt honoret, vt etiam trudat atque pulſet. Ita etiam ſolet ruſticus in agro, dum non agnoſcit regem, denegare illi ſolitam reuerentiā. Ne mireris, quod ſancti adeò ſeſe humiliauerint, euntes ad aulam, proſternentes ſe in via coram rege cœleſti. Roga Deum ex intimo cordis, vt poſſis cognoſcere teipſum. Non enim quiuis credens Deum eſſe, & credens id, quod credendum ipſis præcipit S. Mater Eccleſia, dicitur ſtatim cognoſcere Deum; veluti Paſtor ouium, educatus in ouili confuſam admodum notitiam dicitur habere de rege. Sed ſi ei dicatur, quod ſit magnus dominus, qui poſſit præmijs & pœnis afficere, iam in maiori erit apud eum reuerentia: Sic ſi tu tantùm credas eſſe Deum, nec inſtructus ſis, quàm ſit ſeuerus in iuſtitia, non timebis eum, nec rurſum collocabis fiduciā in eo, ſi ignores quàm ſit miſericors. Cognoſce quàm ingentes præparet theſauros amicis ſuis. Cognoſce ipſius bonitatem, qua cùm dignus non eſſes, ipſeque opera tua non indigeret, cælitùs tamen deſcenderit, vt te alliceret proprio ſanguine ſuo redimendo,

vt viciſſim gratitudinem ei rependere debeas. Contemplare potentiam ipſius, ſapientiam, infinitam magnitudinem, vt eum debita reuerẽtia & timore proſequaris. Si credis eum hominem eſſe, perſcrutare eius bonitatem, & quicquid perfectionis in eo eſſe cognoueris. Nolebat Deus ſibi offerri animal, quod non ruminaret: ſic nec hominem, qui non ruminaret, id eſt, meditaretur, ac peculiariter contemplaretur res creatas, vt hac ratione adipiſceretur claram notitiam ſui creatoris. Enitere quantum potes ad cognoſcendum Deum Dominum tuum, quia ſcriptum eſt: Oculi ſapientis in capite eius. Non loquitur de oculis, nec de capite corporali, cùm tam ſtulti quàm ſapientes habeant oculos in capite. Sed loquitur de oculis cognitionis, quos Sapiens tenet in capite Chriſto ſecundum Apoſt. Vis ſcire, quis ſit Deus? Vide quid tu ſis ipſi, & quid ipſe tibi. Aufer terram, id eſt, mundi amorem, eumque intellectu diſcute, ſi illum cognoſcere velis. Antequam manifeſtaret ſe Deus Moyſi, præcepit, vt prius diſſolueret calcalceamenta ſua. Nunquam Deus manifeſtabit ſe tibi, niſi prius abijcias à te omnes cupiditates mundanas. Cùm vel-

Leuit. 11.

Eccl. 2.

1. Cor. 9.

Exod. 3.

let Redemptor noſter reuelare gloriam ſuam tribus diſcipulis, duxit illos ſecum in altum montem Thabor, vt viderent eum ſe transfigurantem. Tu quoque ſi vis penetrare altitudinem cognitionis Dei, reijce ex corde tuo omnem mundi miſeriam.

CAPVT XVI.

De meditatione & contemplatione.

Pſal. 38. IN meditatione mea exardeſcit ignis, dicit Propheta regius. Ad accendendum ignem amoris Dei in tua voluntate. neceſſaria eſt meditatio & contemplatio. Inter quæ duo parum eſt diſcriminis, niſi quod meditatio conueniat ijs, qui cum difficultate & labore de rebus diuinis cogitant: ſed contemplatio conuenit ijs, qui ſunt exercitati in rebus diuinis. In meditando & contemplando nō conſiſtit perfectio, ſed in amādo Deum. Contemplatio eſt opus intellectus, via & medium ad perfectionem. Sed in eleuando voluntatem noſtram in Deum, per diuinam vnionem & amorem ſupremū conſiſtit perfectio. Suauitas non conſiſtit in contemplando, ſed in amando. Intelle-

tellectus etenim non præbet animæ nostræ cibum, ſed præparat eum. Cæterùm præparatio cibi non adfert realem ſaporem, ſed cibo iam præparato ſaporẽ conciliat. Et cùm bonum ſit obiectum voluntatis noſtræ, adeò quod nihil poſſit eſſe amatum, niſi bonum, aut ſub ſpecie boni: cùmq; intellectus concipiat infinitam bonitatis abyſſum in Deo, valdè frigida eſſet voluntas, quæ non inſtar alterius Phœnicis exardeſceret in amoris diuini ignem, contemplando lucidiſſimos ſolis iuſtitiæ radios. Diſcute igitur alas tuas inſtar Phœnicis, & erige cor tuum inter meditandum, & inuenies te conuertendum in cinerem & vermes, dum agnòſcis tuam vilitatem coram infinita & immenſa illa bonitate Dei. Si vis ſuauiter orare, & conſolari inter contemplandum, interpone volũtatis vires, ſurſum eas erigendo, vt merearis tuæ contemplationis finem. Aliqui ſe tantùm exercent in parte intellectiua, ſed iſtorum finis non captat feruentem in Deũ amorem, ſed curioſam DEI inueſtigationem, quomodo natus fuerit, quomodo vixerit & mortuus ſit, & reſuſcitatus. Tales procul abſunt à vita contemplatiua ponentes fœlicitatẽ ſuam in ſola ſpe-

ſpeculatione myſteriorum Dei, cùm oporteret, vt aſcenderent quoque ad ardentem abyſſum amoris Dei, cui per reciprocum ſuum amorem deberent vniri & incorporari, vt in eo conſumatur omnis imperfecta mortificatio ſuijpſorum. Si accepiſti aliquam cognitionem Dei, illa contentus eſſe non debes, ſed eniti ad hoc, vt ames Deum. Veri contemplatiui, quia nouerunt myſteria Dei, & penetrant eius ſecreta, vocantur veri eius amici, quales fuerunt SS. Apoſtoli, quibus dicebat Dominus? Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos, quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. Qui tantum continent ſe in vita actiua; vocantur ſerui. Contemplatio verò eſt principium gloriæ: Per eam cognoſcit homo Deum & ſeipſum. Sperne itaque mundum præſentem, & acquires robur ad ſeruiendum Deo.

Ioan.15.

CAPVT XVII.

De vera mortificatione.

Pſal.43. *Rom.8.*

PRopter te mortificamur tota die, dicit Pſalmiſta. Fœlicem illam animam, cui viuere eſt Chriſtus, & cũ Chri-

Christo mori lucrum. Necesse est, vt sibi moriatur, qui vult viuere cum Christo. Viuendo in carne moriaris mūdo, vt post hanc vitam semper viuas cum Christo, erisq́ue intra te quietus, nisi foris vagando incedas. Qui externa appetit, cupit tepescere in sancto suo proposito amoris Dei. Cùm Sara esset senex, & iam omnibus appetitibus mundanis mortua, peperit Isaac gaudium & risum suo patri: Sic nisi in te mortuæ fuerint omnes inordinatæ passiones huius mundi, nunquam acquires gaudium spiritus. Post veram mortificationem peperit illa filium spiritus. Mortuus est Christus, vt qui viuunt, iam non sibi viuāt, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Abram non accepit circumcisionem, quousque egrederetur de terra sua. Viuo ego, non iam ego, viuit verò in me Christus, dicit Apostolus. Mortuo Herode reuersus est Christus ab Ægypto in Iudæam: Sic quamdiu non fueris mortificatus, non veniet Iesus Christus ad animam tuam. Vt veniat Christus in animam tuam, necessum est, vt moriaris peccato; Et vt viuat homo interior, oportet exteriorem hominem esse mortificatum. Oc-

Philip.3. *Gen.12.* *Gen.12.* *2.Cor.5.* *Galat.2.* *Matt.2.*

cide Herodem, & Christus viuet. dicit
Apos. Vos est mortui, & vita vestra ab-
Col.3. scondita est cum Christo. Moreris, quā-
do desinis esse, quod fuisti. Si Spiritu vi
Rom.6. uimus, dicit Aposto. spiritu & ambule-
mus. Si secundum carnem vixeritis, mo
Gal.5. riemini: Si verò spiritu facta carnis
1.Reg.15. mortificaueritis, viuetis. Saul coniecit
Agag in carcerē, cùm ex Dei præcepto
occidendus esset: sic multi passiones su-
as incarcerant, nō mactant. Nec etenim
satis fuerit, si passiones tuas incarceres,
ne foras erumpant; sed conuenit, vt eas
occidas, & vt moriatur omnis concu-
piscentia in te, & desiderium munda-
num. Multi instar arborum hyemaliū
videntur mortui mūdo in omnibus re-
bus externis, sed cùm aliquis ipsis oblo
quitur, respōdent & murmurant. Sicut
ij, qui adhuc viuas habēt suas passiones:
quia adhuc intus manent radices, quæ
iterum germinant in tentatione veris,
3.Reg.20. dixit Dominus: Quia dimisisti virū dig-
nū morte de manu tua, erit anima tua
pro anima eius. Morietur anima pro vi
ta, quam reliquisti corpori. Recollige te
bene, & vide quis in te viuat. Si viuit ca-
ro, mortuus est spiritus. Non poteris te
ipsum dare orationi & cōtemplationi,
nisi

nisi prius fueris mortificatus: imò necesse est, vt omnia incipiant à mortificatione. Præcepit Deus, vt lapidetur bestia, quæ montem attigerit; quomodo non lepidetur ille, qui inuolutus erroribus ascendere audebit ad montem contemplationis, adhuc subditus passionibus sensualibus, nobis cum alijs animalibus communibus? Non potes peruenire ad vitam contemplatiuam, nisi prius te exercueris in vita actiua. Primùm Iacob vocabatur Iacob .i. supplantator, antequam vocaretur Israel, id est, videns Deum, non enim poteris videre Deum, nisi antea supplantaueris vitia per mortificationem. Mortificatio conuenit vitæ actiuæ. Nonne Lia primò fuit data Patriarchæ Iacob, quæ significat vitam actiuam, vt sic per seruitutem multorum annorũ tandem consequeretur Rachel, quæ repræsentat vitã contemplatiuam? Et quamuis Rachel prima sit nobilitate & perfectione, vltima tamen est in cognitione. Primò igitur matrimonium contrahendum est cum Lia, deinde cum Rachel: mortifica primùm sensualitatem, exerce te in operibus humilitatis, disce vincere te ipsum, disce abstinentiam, patientiã,

Exod. 19. *Gen. 32.* *Gen. 29.*

laborum tolerantiam, & ascendes ad contemplationem. Daniel, eiusq; socij erant valdè abstinentes & casti, ac ita perceperunt multas visiones, capacesq́ue extiterunt diuinarum reuelationū. Multi volare volunt sine alis. Parum proficiunt, quia non sunt mortificati. Hoc tibi persuade te non peruenturum ad cōtemplationem, nisi animus fuerit liberatus omnibus ijs, quæ sunt sub cœlo, ac ita raptus in Deū, vt scias teipsum cōtemnere propter Deum. Purus amor facit spiritum tuum simplicem & adeò liberū ab omnibus rebus, vt sine aliquo labore possis te reflectere ad Deum. Si esses mortuus mundo, etiam mundus tibi esset mortuus: sicut glorioso Apost. S. Paulo. Sicut mare retinet homines viuos, repellit verò à se quiduis mortuū: sic mundus honorat sibi viuos, & propellit à se mortuos pro Christo.

Danie.1. *Galat.6.*

CAPVT XVIII.

De ciborum abstinentia.

Rom.8.

SI secundum carnem vixeritis, moriemini, dicit Apostolus. Nunquam placebis spiritui, nisi feceris abstinētiam & pœnitentiam in vita tua. Si cor-

pus

pus tuum oneraueris multis cibis, animam peccatorum mole deprimes. Dæmon dum offerret cibum vetitum, superauit primos nostros parentes. Et prima tentatio qua tentatus fuit Iob, accidit in conuiuio filiorum ipsius. Abstinentia & vitæ asperitas conueniunt mortificationi. Primò creauit Deus cibum animalibus alijs ab homine, vt discamus, quàm parum debeamus esse solliciti de victu. S. Paulus, licet sciret se esse vas electum, castigabat corpus suum, nos verò quantumlibet sciamus nos esse peccatores, volumus tamen viuere in delicijs. Videte, ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate, dicit Saluator. Daniel, vt aptiorem se faceret ad percipiendam diuinā consolationem, ieiunauit tribus hebdomadibus, non comedens carnem, nec bibens vinum. vnde meruit postea videre multas visiones & reuelationes. Si vincere vis, aufer hosti arma: armatura, quam diabolus sumit contra te, est propria caro tua. Qui se addicit voluptatibus corporis, incidet in laqueos diaboli. Daniel primùm destruxit idolum Bel: deinde Draconem, qui latebat in idolo. Labora & repugna idola carnis tuæ per ab-

Ge.3. Iob.1. 1.Cor.9. Luc.12. Danie.2. Danie.14.

stinctias, vigilias, & orationes, & triumphum reportabis de diabolo. Nihil adeò terrefacit ac in fugam agit Dæmonem, atque asperitas vitæ. E contrario, nihil eum adeò reddit animosum atq; delitiæ corporales. Stultum est castitatem sibi polliceri inter delitias. Aufer cibos tanquam ligna, & extingues ignem desiderij sensualis. Loth se per abstinentiã eripuit ab incendio Sodomę. Rursus postquã incidisset in ebrietatẽ, cõmisit incæstũ cum proprijs filiab. in monte. Non læditur homo ab igne propriæ sensualitatis, si se defendit scuto abstinentiæ. Et quantumuis ascẽdat ad montem contemplationis, & fugerit mundum, cadet tamen, vt Loth, nisi seruauerit abstinentiam. equus eorum, inquit Isaias, caro & nõ spiritus. Temerarium est insidere hinnulo infręnato & indomito. Refræna igitur illum fræno abstinentiæ, ne te in terram deijciat, iuxta illud Psalmistæ: In chamo & fræno maxillas eorum constringe. Ne temerè nimium præcipites te in aquas delitiarum huius mundi, nisi cum Pharaone velis submergi cum toto equitatu suo, qui veluti petræ ceciderũt in abyssum. sicut etiam in infernum descendent ani

Gen.19. *Esaiæ 31.* *Psal.51.* *Exod.4.*

ma

ma,& corpus tuũ,nisi illud perdomueris fræno abstinentiæ. Abstinentia est mors culpæ,exilium delectationum,remedium salutis,radix gratiæ, & fundamentum castitatis. Ignominiosum est superari à seruo suo. Ismael filius ancillæ persequebatur filium liberę;Agar interim contemnebat dominam suam Saram. Tu verò afflige carnem tuam, sicut Sara afflixit Agar, nisi velis spiritũ ab ea opprimi. Pudere te deberet,cũ sis princeps magnus,quem paulò minorem fecit Dominus ab Angelis, quod adhuc audeas facere voluntatem corporis tui serui vilissimi. Hoc inter alia deplorabat Hieremias dicens:serui dominati sunt nostri,&c.

Gen.21. *Psalm 13.* *Tren.5.*

CAPVT XIX.

De amore solitudinis.

DVcam eã in solitudinẽ,&loquar ad cor eius. Vt loquatur Dominus nobiscum non indiget testib. Cùm vellet reformare Abraham,euocauit eũ ex terra sua,& conuersatione hominum. Ad altitudinẽ mõtis Sinai duxit Moysem, & iussit,ne quis alius accederet ad montẽ. In solitudine deserti apparuit Angelus Agar. Helias quoq; procul ab hominib,separatus erat, cũ videret Angelũ.

Oseæ 2. *Gen.21.* *Exod.19.* *Gen.21.* *3.Reg.19.*

Cùm Deus cor tuum solitarium videt, in eo quiescere cupit. Et cùm videt animam nostram abstractam à curis huius sæculi, multa ei reuelat, quæ ei non aperiret, si inueniret eam occupatam rebus huius mundi. *Ioan. 4.* Deus spiritus est. Quare non vult tantum solitudinem corporis, quantum cordis. Ille verò dicitur esse solus, qui non cogitat quæ mundi sunt. Vtinam relinqueres omnia ista somnia, nugas, & occupationes sæculi, & cor tuum solum commendares in manus Iesu Christi: ita demum multis consolationibus fruereris, quibus cares. Si scires, quantum amittas, dum occupas te rebus terrenis, non tibi molestum esset adhærere soli Iesu Christo. Si itaq; abs te segregaueris conuersationem mundanam, inuenies diuinam. Ama solitudinem, & gratiam acceptã conseruabis. Sed propter frequentes tuas cõuersationes humanas, diuini obsequij feruore priuatus es. Silentium & solitudo sunt muri deuotionis. Si vis conseruare deuotionem, ama solitudinem. Requirit enim Deus cor nostrum ab omni tumultu populari prorsus abstractum. *Gen. 19.* Iussit Dominus Abrahæ, vt eijceret ancillam & filium, id est, cogitatio-

tationem, vt solus spiritus hæres foret. Mulier illa in Euangelio, quæ patiebatur grauem corporis fluxum, latenter tangens vestem Domini, statim sanata fuit. Tu igitur anima Christiana, si infirmaris, clanculum accede ad sponsum tuum Iesum Christum, quia in eo reperies perfectam consolationem & veram salutem, statimque curaberis, si modò clanculum cor tuum eleuaueris ad Deum, Non ita, si deambulares per aulas Regum & Principum. Suauitas orationis & gustus solitudinis non possunt exprimi lingua humana. Ne existimes te esse solum, quia plures nobiscum sunt, quàm cum ipsis, dicebat Elysæus. Nunquam magis eris in conuersatione, quàm cùm fueris solus. Valdè suauis est conuersatio Iesu Christi, & iucunda societas Angelorum. Lege vitas Patrum, & SS. Eremitarum & perfectorum Religiosorum, & inuenies, quod in ijs viguerit amor heremi & solitudinis. Nunquid colligis de tribulis ficus? Nunquid ex honoribus huius mundi percipies consolationem spiritus? Tu autem cùm oraueris intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscōdito, inquit Dominus.

Matt. 9.

4. Reg. 6.

Matt. 7.

Matt. 6.

nus. Quod si sapis ea quæ sunt spiritus, haud difficulter iudicabis solitudinem orationi esse necessariam. Nec Dominum ad tuam voluntatem facilè paratum inuenies, nisi in locis solitarijs & remotis.

Amanti conuenit solitudo. Si amas creatorem lubenter te separabis à creaturis: Et molesta est conuersatio humana ei, cui in corde regnat Christus Iesus. Odiosa est conuersatio homini spirituali: dum animã suam excitat in oratione aliquo verbulo, quo moueatur. Ad quod requiritur separatio à creaturis? An non legis, quod Saluator noster segregauerit sese à discipulis cùm ora-
Matt.16. ret Patrem in horto: & quod subinde in solitudinem se receperit, ad orandum?
Gen. 3. Cùm esset Adam solus in paradyso, erat & Deo & Angelis gratus, & dæmonibus terribilis: sed postquã associatus fuit mulieri, omnibus bonis priuatus
Psal.54. est. Dicit Psalmista: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Elias solus
3.Reg.17. existens alebatur pane cœlesti: cùm verò esset in turba, vix panem, quem comederet, inuenit. Non comederũt manna filij Israhel, donec pertrãsijssent mare, quæ sunt perturbationes huius mundi

di. Breuiter amittes Deum, nisi fugeris conuersationem hominum. Ne itaque tam parui ducas Deum, vt propter rem exigui momenti eum amittere velis.

CAPVT XX.

De silentio.

IN silentio & in spe, erit fortitudo vestra, dicit Esaias. Nisi fueris amicus solitudinis & silentij, nunquam eris perfectus religiosus. Dicit sanctus Iacobus: Si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, huius vana est religio. Magnum religionis indicium est silentium. Quicquid lucratus es in oratione, hoc amittes, si fueris loquax. Silentium est custos deuotionis. Ne mireris te esse in oratione frigidum & debilem, cùm tempus expendas in superfluis & ociosis sermonibus. Disce tacere, si vis proficere. Quare etenim Deus dedisset vnicam linguam, & duas manus, nisi vt pauca loquereris, multum operareris? Duo claustra adhibuit Deus linguę tuæ: vnum ex carne, quæ sunt labra, alterum ex osse fortiori, tanta diligentia custodita, vt tantum loquaris, quæ necessaria

Esaiæ 30.

Iacob. 1.

funt omiſſis ſuperfluis. Quid es, cùm loquax es, niſi ciuitas ſine muro, domus ſine oſtio, vas ſine operculo, aut equus ſine fræno? Quid tandem boni poſſidere potes, ſi non coërcueris linguam tuam? quæ ſi vaga fuerit, præbet aditum dæmonibus, vt facilè amittas,
Iacob.3. quicquid antea acquiſiueris. Vita & mors in manibus linguæ. Dicit Eſaias:
Eſaiæ 30. In ſpe & ſilẽtio erit fortitudo tua. Multum gratię adfert ſilentium virtutibus.
Luc.1. Zacharias cùm eſſet ſine veſtimentis & loquela meruit habere ſanctum Ioannem, gratiam nimirum. Sicut vas opertum citius ebullit, quàm ſi apertum eſſet propter vapores exeuntes: Sic etiam tu dum os tuum in ſilentio contines, citò feruens eris in Dei ſeruitio. Niſi diſcas primùm tacere, numquam
Thren.3. diſces loqui. Dicit Scriptura: Sedebit ſolitarius, & tacebit: quia leuauit ſe ſupra ſe, per contemplationem rerum cœleſtium, & contemptum terrenarum. Qui ſilentium ſeruat, facilius cor ſuum ad
Iacob.1. Deum eleuat. Dicit S. Iacobus: Sit omnis homo tardus ad loquendum, velox ad audiendum. Cadunt enim à rectitudine illi, qui facilè prorumpunt in loquacitatem. Sicut aqua clauſo canali,
per

per quem transit, eleuatur sursum: sic etiam eleuatur Spiritus deuotionis dum comprimuntur labia per silentium, & suauiter ascendit anima Christiana ad Deum, eumq; in interiori cordis sui degustat. Si verò loquacem te præbeas, dissipabis omnem deuotionem tuam, & portas aperis inimico te obseruanti, quotiescunque loqueris verba otiosa. Scriptum est: Sicut vrbs patens & absq; murorum ambitu, ita vir, qui nō potest in loquendo cohibere spiritum suum. *Pro.25.* Ictus enim mortales experitur ciuitas animæ nostræ, cùm caret muro silentij. Nabuzardan destruxit muros Hierusalem: quod facit diabolus cùm te incitat ad fractionem silentij: quia conscientiã tuam prædæ exponit, & animam tuam captiuam trahit ad Babylonicam inferni confusionem. Pones itaq; bonas excubias muris tuis, nisi velis in prædam fieri hostibus. *4.Reg.25.*

CAPVT XXI.

De verbis otiosis.

DIco vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem *Matt.12.*

de eo in die iudicij, dicit Dominus. Cor nostrum est instar ceræ, quæ frigore induratur, calore verò mollescit. Emollitæ ceræ facilè impresseris imaginem regis. Aures tuas claude vanis & ociosis verbis, quia indurant cor hominis. Si à verbis otiosis te non continueris, parum proficies in DEI seruitio. Verba sancta spiritualia inflammant cor hominis, iuxta illud Prophe-
Psal. 118. tæ: Ignitum eloquium tuum Domine. In festo resurrectionis Domini duo illi Discipuli euntes in Emaus, erant multum inflammati, quare postea dixe-
Luc. 24. runt: Nonne cor nostrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis scripturas? Aptum reddes cor tuum ad imprimendum in eo imaginem æterni regis, si verbis DEI illud calefeceris & emollieris. Magno studio ac contentione seruo DEI vitanda sunt verba otiosa, & in alijs ab eo reprehendenda. Si huius rei curam non habueris, non mereris nomen perfecti. Frustra labōras proficere in Dei seruitio, nisi frænum adhibeas linguę tuę. Loquaris itaque pauca beneque ordi-
2. *Tim.* 2. nata. Apostolus dicit: Non oportet seruum Dei litigare, vt nimirum vitetur
omnis

omnis contentio & clamor, quo alius facilè turbatur. Si apud sæculares verba inhonesta & ioco dicta vituperantur, multò magis apud seruos Dei. Sint itaque verba tua circumspecta & limata, qualia decent verum Iesu Christi aulicum. Ex malis verbis multa mala oriuntur. Dicit Apostolus: Corrumpunt bonos mores colloquia praua. A verbis transitur ad opera. Quemadmodum nauis bene pergit, secundo vento agitata: ita anima nostra bono vento afflata fœliciter ad cœli portum perueniet. E contrario si aurium tuarum vela perflauerint verba dissoluta tuæ nauigationi contraria, conijcient tandem animam tuam in abyssum perditionis. Dicit Ecclesiasticus: Et in sensu sit tibi cogitatus Dei, & omnis enarratio tua in præceptis altissimi. Bona verba inflammant cor, accendunt voluntatem, ædificant proximum, & augent diuinum amorem. Verba verò otiosa & vana distrahunt spiritum, extinguunt feruorem, minuunt deuotionem, & scandalizant audientes. Si aurum malè sonat, habetur pro ære. Verba sunt tanquam sonus animæ. Si sint clamores, ~~sunt~~ & verba inania; sunt

1.Cor.15.

Eccles.9.

ærata, non aurea: ſed ſi ſunt grauia & cordata; habentur tanquam aurea eſſent. Vas vacuum altè & clarè ſonat: ſic tu quoque vacuus eris, ſi tam altè reſonas. Sis grauis & prudēs in verbis, & cognoſcemus te firmum ac ſtabilem eſſe.
2. Mach. 15. Dicit Scriptura, quod Iudas Machabæus armauerit ſuos ſermonibus optimis, quibus deuicit potentem Nicanorem. Magna arma ſunt verba ſancta: otioſa verò ſunt pernicioſa. Si horologium intus corruptum ſit, diſcordat foris campana: ſed ſi intus temperatæ fuerint rotæ, campana etiam ſe foris bene habebit. Ex inordinatis verbis tuis cognoſcimus malam conſcientiæ tuæ compoſitionem. Os tuum condemnat te. Dicebat Ianitrix Petro: Et tu Galilæus es, & eras cum eo. Nam & loquela tua manifeſtum te facit. Et alibi in Euangelio dicitur: de ore tuo te iudico ſerue nequā. Ex loquela cognoſcitur, cuias ſit peregrinus. Quomodo vis haberi probus, ſi locutio arguit te eſſe diſſolutum. Ex oris & labiorum ſciſſura cognoſcitur febris: Sic etiam ex oris tui eructatione cognoſcitur infirmitas tua. Antequā proferas verbum, præmeditare: quia homines non reſpiciunt ad cor, ſed ad verba.

Mar. 14.

Luc. 19.

Ex

Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Manet irreuocabile verbum. Proinde vide, antequam aliquid dicas, ne postea dixeris: Non cogitaui. quia prudentis non est dicere. Non putaram. Et ante omnia cogita, quod Dominus Deus in die iudicij valdè strictam exiget rationem verborum nostrorum. *Matt. 12.*

CAPVT XXII.

De murmuratione.

NEque murmuraueritis sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore, dicit Apostolus. Peior est lingua murmuratoris inferno, quia infernus solos malos cruciat: murmurator verò tam bonos quàm malos persequitur lingua sua peruersa, imò magis contra virtutem accenditur. Qui candelam digitis suis emũgit, seipsum quidem defœdat, sed candelam lucidiorem reddit: sic qui detrahit existimationi bonorum virorum, animam propriam maculat & conscientiam, sed præbet bono occasionem meriti: sicut Pharisæus murmurans de Maria Magdalena mansit *1. Cor. 10.* *Num. 21.* *Luc. 7.*

confusus. Plus nocent murmuratores sibi, quàm alijs: seipsos occidunt, alios verò iuuant. Deus laudauit Mosen, Aa-
Num.12. ronem verò & sororem murmurantes spreuit: ita & omnes alios, qui facilè per fas & nefas de alijs murmurant.
Pro.22. Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ. Qui aufert bona temporalia, minus peccat murmuratore, qui famæ detrahit, quæ spectat ad bonum spirituale. Manu percutitur corpus, lingua verò percutitur anima. Manus indulgent procul existenti, lingua verò illi non parcit. Bona temporalia facilius restituuntur, quàm fama, eò quod corruptæ naturæ inclinatione potius adhibeamus fidem malis quàm bonis dictis: difficulter etiam prima impressio euellitur. Vna ex plagis, quas immi-
Exod.8. sit Deus AEgypto, fuit ranarum, quib. comparantur murmuratores, pessimũ genus hominum, qui immersi luto & immunditiæ vitiorum suorum tacent interdiu, tegentes bona opera & virtutes proximorum suorum, sed de nocte non cessant deprædicare eorum defe-
Psal.139. ctus. Dicit Psalmista: Acuerunt linguã suam sicut serpentes, venenum aspidũ sub labijs eorum. Quemadmodum ser-

pen-

pentes comedunt terram, sic murmuratores de infamia proximi pascuntur. Lapis excisus de monte percussit statuã Nabuchodonosoris in pedibus luteis, non in capite aureo, aut brachijs argenteis : sic murmurator semper attingit defectus alterius , & omittit virtutes. Daniel.2.
Dicebat Psalmista: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? qui non egit dolum in lingua sua , nec fecit proximo suo malum, & opprobrium nõ accepit aduersus proximos suos. Et tamẽ Deus voluit linguam fieri non ex osse, sed ex carne, vt intelligas quod verba tua voluerit esse suauia, non aspera. Castigauit Deus murmuratores tam seuerè, vt dixerit Mosi: Nemo illorum, qui murmurauerint, ingredietur in terram promissionis. Et sic ex sexcentis millibus, qui egressi sunt ex AEgypto, soli duo ingressi sunt terram promissionis, vt discamus, quàm difficulter Murmuratores cœlum ingressuri sunt. Psal.14. Num.14.

CAP.

CAPVT XXIII.

Quod seruus Dei non debeat discutere vitam alterius.

Psalm. 37. DEreliquit me virtus mea, & lumē oculorum meorum, & ipsum nō est mecum, dicebat Psalmista: Quia videlicet occupabat se nimium examinando, quid alij facerent. Si vis proficere in seruitio Dei, totis viribus elabora, ne aliorum vitia discutias. Si vis viuere quietus, ne curiosius aliorum vitam scruteris: alioqui malè audies apud alios, iuxta sequentem eiusdē Psal-
Psalm. 37. mi versiculum: Amici mei & proximi mei aduersum me. Hinc murmuratio, hinc superbia ex contemptu aliorum, & defectu cognitionis sui ipsius. Flumē egrediens ex alueo suo vnà cum crescētibus aquis inundat ripas; seipsum verò maculat: ita agitur tecum, qui relicta cognitione tui ipsius alios curiosius discutis: tibi ipsi noces & conscientiæ tuæ, alios verò mundas, prębesq; merendi occasionem alijs. Quid quæso immisces te rebus ad te non pertinentibus? Anne tu iudex es, aut Prælatus, ad quem hæc spe-

ſpectāt? Reddes rationē de villicatione tua, nō de alterius. Mercator deſerit negotiationē, quam cōperit ſibi eſſe perniciosam: Ita & tu alterius vitæ indagator hanc negotiationē tibi pernicioſam quàm citiſſimè ſi ſapis, abs te reijce: adeò parum temporis habes, vt te ipſum diſcutias, multum verò, vt alios curioſius ſcruteris, cùm contrarium potius ſit verum. Ita alios curiosè diſcutere eſt hominum paruæ conſcientiæ & animæ. Nemo rigoroſior in diſcutiendis alijs, quàm ille, qui in ſe eſt diſſolutus, Nemo adeò ſcandalizatur paruis defectibus aliorum, quàm is, qui magnis defectib. eſt plenus. Nec quiſquam de proximo adeò malè iudicat, quàm is, qui in ſua vita eſt diſſolutus & laxus. Dicit Sapiēs: Vita nequam hoſpitandi de domo in domum. Domino domi manente oēs faciunt officium, ſed eo abſente, nihil minus faciunt, quàm officium. Si cùm ratio ſe recolligit & conſulit conſcientiam, omnes cogitationes ſenſus & affectiones bene componit: ſed ſi à domo longius recedat, alienaſq; res tractet, cogitationes citò varias in ſpecies diſtrahuntur. Eſau ſæpè egrediebatur foras cùm Iacob domi maneret, vt intelligas, bono.

Eccleſ. 29.

Gen. 27.

bonorum esse ingredi domum propriæ conscientiæ: malorum verò relicta propria conscientia discutere alienã. Quid absurdius, quàm vt alios vestias, ipse verò maneas nudus? Si ille est malus, ille (non tu) onus suum portabit: Non tamen deest, in quo tibi ipsi attẽdas, si modò interius te recipias. Quid instar Marthæ turbaris erga plurima? Vnum tibi necessarium est, vt cum Deo tractes alijs omissis, si velis viuere quietus. Et facilè vitabis omnes occupationes exteriores & officia ac dignitates, si incipias gustare, quàm sit suauis conuersatio Iesu Christi. Alioqui ita curiosè discutere vitam proximi insigne est testimonium exigui amoris erga Deum. Quod si adeo sollicitum examinatorem vitæ proximi te præstare pergis, age succurre ipsi in necessitate, compatiendo ipsius infirmitati, nec vltra curiosius ipsum obserues. Ama omnes, & fuge ab omnibus, amaberisq; à Deo & hominibus, & viues quietus in hac terra & lætus.

Luc. 10.

CAP.

CAP. XXIIII.

Quomodo debeamus tolerare defectus proximorum nostrorum.

ALter alterius onera portate, dicit Apost. Suffer proximum tuũ, cùm ipse te in multis toleret. Noli ita scãdalizari de fratrib. tuis, nec tã facilè ipsorũ defectus obserues. Satis habes in quo teipsum obserues, vt non opus sit ita curiosè obseruare quid alius faciat. Si sint, qui non ita conformes sint tuæ naturę, non debes propterea illos reprehendere & molestus illis esse. Nam quamuis valdè perfectus esses, possunt tamẽ alij esse sancti, licet non assimilentur tibi. Si vides imperfectionem in proximis tuis, persuade tibi qđ sub illis lateant multæ virtutes, & quod faciant multa bona opera, quæ tu ignoras. Non condemnes proximum tuum, nec ipsi indigneris, imò cognosce te debiliorẽ & grauiorem peccatorem esse. Iudica opera proximi tui in meliorẽ partem: si non potes excusare opus, excusa intentionẽ, quæ bona esse potest aut si opus sit malum, cogita illud ex ignorantia accidisse. Quod si nulla ratiõe potes excusare fratrẽ pec- Gala. 6.

can.

cantem, crede grauem illi tentationem obuenisse, & quod fortè peior esses, si tam graui tentatione concussus fuisses. Deniq; age gratias Deo, quod tam grauem tentationem nondum sis expertus, & compatiendo ora Deum pro proximo, qui peccauit. Dicit Apostolus: Qui stat, videat ne cadat. Si per superbiam fueris temerarius Iudex, permittet Deus, vt in idem peccatum labaris, quod condemnas in paupere fratre tuo, aut aliud maius ad domandum superbiam tuam. Sanctus Petrus cùm putaret se cæteris animosiorem, tandem coactus est implorare Dei auxilium dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Vera sanctitas non habet indignationem, sed compassionem. Iustus compatitur peccatori, nouitq; se æquè peccare posse atq; alium quempiam. Si es literatus, sapiens, prudens, maioremq; gratiam habes, quàm alij, ne superbias, nec spernas proximum tuum, imò reprehende teipsum. Et cum magis obstrictus sis ad seruiẽdum Deo, mirum, quod tam piger sis in eius seruitio. Si eos fauores, commoditates & frequentes inspirationes ad sibi seruiendum Deus dedisset latroni aut viarum ob-

Marginal notes: 2. Cor. 10. (beside "lus: Qui stat…"); Luc. 5. (beside "cens: Exi à me Domine…")

obſeſſori, tantum abeſt, quod furatus fuiſſet, rapuiſſet, aut homines occidiſſet, imò melius Deo ſeruiuiſſet, quàm tu. Quod ſi Deus tecum bene egit, cur tu tam malam gratiam ei rependis? Permane quæſo in humili tuijpſius cognitione, vt maiores gratias apud Deum promerearis. Si frater peccet, recipe eũ in charitate & miſericordia, iuxta illud Apoſtoli: Fratres ſi aliquis veſtrum præ occupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Conſidera teipſum, inquit S. Paulus, & attende ad proprios defectus, & non ſuperbies, nec cum indignatione repræhendes proximos tuos. Quando eos caſtigas, vide qua cum pietate id facias. Si quando tu peccas, velléſne quod Deus mitteret te ſtatim ad Infernum? Si itaque vis vt Deus clementer tecum agat, compatiaris etiam eadem miſericordia proximo tuo. Nam qui cum ſeueritate vult caſtigare defectus aliorum, nunquam percipiet indulgentiam propriorum delictorum. Ne contemnas quemquam, quantumuis peccatorem, quia ignoras finẽ eius; qui ſi malus eſt Gal. 6.

hodie, poterit cras esse bonus. Quis credidisset eum, qui per totam vitam latro
Luc. 23. fuerat, tam bonum finem consecutu-
rum, & à Domino tandem perducendum ad æternam gloriam? Nonne legimus multos antea peccatores postea factos esse sanctos? Nemo igitur contemnendus, quãtumuis magnus peccator, quum possit adhuc esse sanctus. Non
Esa. 59. enim abbreuiata est manus Domini.
Ne terminum ponas gratiæ aut limites clementiæ eius. Fortè quos hodie vides errare, Deus prædestinauit & elegit in sanctos suos. Tu nescis, quid futurum sit de hominibus. Id scias solum, te esse peccatorem, sciasque te dignum, qui contemnaris ab omnibus & dignum
1. Cor. 12. inferno. Si proximus tuus peccat, caue, inquit Apostolus, quia omnes sumus inuicem membra. Et profectò iuri naturali conuenit, vt vnum mẽbrum succurrat alteri. Ne spernas carnem tuam, patienter tolera defectus fratrum tuorum, nec scandalizeris, nec deseras sancta exercitia orationis & contemplationis, quamuis magnos aliorum defectus videre cogaris. Multum nocet seruo Dei, si ita curiosè se occupat circa aliorum defectus, quò fit vt valdè parum

vnq̃ proficiat. Ingredere interiora conſcientiæ propriæ, & habe ſemper in memoria, te eſſe peccatorem, & viue cum multo timore, cum neſcias vtrum acceptus ſis Deo, & quàm diu perſeueraturus ſis in bono tuo propoſito.

CAPVT XXV.

De otioſis cogitationibus.

VAE qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus veſtris, dicit Dominus. Nolite cogitare vana, quia de malis cogitationibus Deo rationem reddetis. Quid diceret̃ homines ſi cogitationes veſtras viderẽt? Nũc cùm in die iudicij manifeſtabuntur ſecreta cordis tui, quanta erit confuſio tua? Si malis cogitationibus diutius immoreris, fieri non poteſt, quin incidas in mortem. Ex cogitationibus oriuntur verba, & ex illis opera. Reddit molendinum farinam pro ratione frumenti accepti: Imaginatio voluitur inſtar rotæ molaris, ſi admiſeris bonã cogitationem ſuccedit boni operis farina frumentaria, ſi malam, ſuccedent & opera mala. Nunq̃ ex hordeo prodijt farina frumentaria, nec ex otioſis cogitationibus bona opera. Qui immoratur cogitationi malæ *Mich. 2.*

periclitatur de consensu. Dicit Psalm.
Psal. 136. Beatus, qui allidet paruulos suos ad petram. antequam crescant cogitationes, allide eas ad petram, de qua Apostolus:
1. Cor. 10. Petra autem erat Christus. Si sunt legi conformes, permitte vt crescant, sin minus, occide inimicum, quamdiu paruulus est, ne postea vbi excreuerit occidaris ab eo Sapientis est timere inimicum etiam paruulum. Cogitatio instar radicis viridis, si sit bona pariet fructum bonorum operum; si sit arida nullum fructum producit. Si cogitatio sit bona, simulatq; voluntas illi adhæserit, parturit bonorum operum desideria. Ne inhæreas malis cogitationibus, quā rem
Hier. 4. lamentatur Deus per Herem. Vsq; quo morabuntur in te cogitationes noxię? Quamdiu gentiles manebant cum populo Israelitico, elongabatur Deus à populo suo nec illi loquebatur, sic etiam deseret te Deus si locum dederis malis cogitationibus. Licitum erat Iudæis transitum dare gentilibus, sed non dare locum ibi habitādi. Ne flatu malam cogitationem excites veluti scintillam, nisi velis ignem crescere ad te comburēdum in inferno. Vermes sericei in principio sunt certa grana veluti sinapis, ea-

que

que portãt mulieres ligata in linteo ad pectus, quæ postquam incaluerint, reuiuiscunt, fiuntq; inde vermes huiusmodi. Vide ne imprimas sensualitati quædam inhonesta femina, vt calore pectoris reuiuiscat vermis mordens, & rodẽs conscientiam. Ne foueas malam cogitationem amoris mundani calore. Ne fallaris, caue applices malæ cogitationi cõsensum, nisi mala morte mori velis.

CAPVT XXVI.

De otio.

MVltam malitiam docuit otiositas, dicit Sapiens. Super omnia fuge otium tanquam vitiorum matrem, & virtutum nouercam. Otium nihil aliud est quàm mors & sepultura hominis viui. Si hominem creatum in iustitia originali & dotatum tot perfectionibus, noluit Deus degere otiosum, quomodo existimas te victurum, tot inimicis circundatum? Posuit Deus Adamum in paradyso vt operaretur illum: Ille verò se perdidit in laboribus, & tu existimas te saluandum in voluptatibus? sicut auis nata est ad volandum, sic homo ad laborandum: Ideò Deus duas manus tibi dedit ad operandum,

Eccle. 33.

Gen. 3.

dum, ſicut aui duas alas ad volandũ m
Non iaculatur auceps in auem volantem, ſed expectat, vt reſideat: ſic neque impugnat te dæmon ſuis ictibus iam occupatum, ſed otioſum, vt animæ vita te ſpoliet. Semper occupari tibi conuenit, ne inimicus te inueniat otioſum. Vas occupatum & plenum, alterius cuiuſcunque rei non eſt capax. Anima occupata aliud quidquam recipere non poteſt. Nunquid dæmon in illam conijcere poterit, quod velit, niſi eam inuenerit otioſam? Aqua profluens producit optimos piſces, ſed aqua ſtagnans, & otioſa inſtar paludum, & locorum profundorum nõ generat aliud, quàm ranas. & ſerpentes, piſces verò eorum ſunt inſipidi, & inſalubres. Quid boni producere potes, quamdiu es otioſus, niſi cogitationes vanas, inhoneſtas, & malas? Repelle abs te omnem otioſitatem, tanquam peſtem, niſi in multa vi-
1.Reg.19. tia incidere velis. Dauid dum eum perſequeretur Saul, non lapſus eſt in
2.Reg.11. peccatum: ſed quando ſedebat quietus
3.Reg.11. & otioſus in aula ſua. Salomon occupatus in ædificatione templi, nõ offendit Deum, sed cùm eſſe otioſus, com-
Iud.8. miſit peccata magna. Filij Dan deſtru-

xerunt ciuitatem Lachis, dum populus torpesceret otio & pigritia. Otiositas est esca peccatorum carnalium. Si fugeris otium facilè occides vitia inhonesta, præcidendo bonis occupationibus ipsorum aditum. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, honestauit illum in laboribus, inquit Sapiens. Via cæli plena est laboribus & cõtinuis virtutum exercitijs, si consideres te totius temporis quod perdis, redditurum rationem Deo valdè strictam, nihil ex eo amittere velles. Subitò Spiritus Domini ostendit, quod vbi versatur, non permittat regnare otiositatem. Scriptũ est panem otiosa non comedit. Otiositas est mera temporis perditio. collige manna die Veneris laborando in hac vita, quia sabbatum tanquam dies festiuus est quies alterius: propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi. Itaq; si hãc vitam in otio consumpseris, morieris fame, erisq́, esca ignis infernalis. Repræhenduntur in Euangelio otiosi. Terra otiosa, quæ non est exculta, producit tribulos & spinas. Caue igitur sis otiosus, alioqui malas cogitationes produces. Quamdiu vixeris, dicit Apostolus, cura,

Sap.10.

Pro.31.

Exod.6.

Pro.20.

Matt.20.

Ioan.9. vt bene viuas: me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est, inquit Christus. Semper itaq; occupa terram cordis tui sanctis & bonis exercitijs, vt dignum feras bonorum operum fructum.

CAPVT XXVII.

De feruore bonorum operum.

Rom.12. SOllicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes, inquit Apostolus. Requirit Deus feruorē in bonis nostris operibus. Gratior est apud Deum vna hora boni feruoris quā centum in tepido seruitio expensæ. Attendit enim Deus magis ad feruorem in operando, quàm ad diuturnitatem temporis, vt intelligas, te etiam exiguo tempore multa lucrari posse. Latro exiguo tempore in cruce seruiuit Christo, sed multò magis meruit in tam breui spacio. Non meministi quod pater exiguo temporis spatio receperit filiū suum prodigū tam liberaliter, vt frustra indignatus fuerit primogenitus, nunquam se tam bene tractatum fuisse, cū tam multo tempore illi seruijsset. Quæ quidem indignatio fuit planè temeraria, quia filius prodigus post lapsum cū

Luc. 23. (margin)

Luc.15. (margin)

tanto

tãto feruore,ac ſpiritu ſupplex rediјt ad patrem, vt meritò ſuperauerit primogenitum, ſatis tepidum, ac remiſſum. Sũt nonnulli iuuenes in religione, qui maioris meriti ſunt, quàm multi ſenes. Itaque non tam multitudo annorum eſt conſideranda, quam feruor, ac ſpiritus. Qui tepidus eſt in ſeruitio diuino, valdè pronum ſe reddit ad peccandum. dicit Deus: Vtinam calidus aut frigidus eſſes, ſed quia tepidus es, incipiã te euomere ex ore meo. *Apoc. 3.* Is qui fuit malus & incipit appropinquare Deo, non meretur reprehendi, ſed iuuari vt fiat feruẽs: ſed qui fuit feruens, nunc verò tepidus, meretur repræhendi, qui declinat ad frigus peccati. Hanc ſecundam tepiditatem repræhendit Deus, & meritò: non enim æquum eſt, vt illi tepidè ſeruias, qui cum tanto feruore tuo ſeruitio ſe totum impendit. Chriſtus Dominus Iudæ traditori dixit in vltima cœna, vt acceleraret, quia ſummo deſiderio flagrabat moriendi pro nobis. *Ioan. 13.* Glorioſa virgo Maria fuit admodum ſollicita in viſitando Eliſabetham cognatam ſuam, vt diſcas requiri in opere feruorem. *Luc. 1.* Nonne etiam legimus, quod Deus præcęperit, vt agnus paſchalis feſtinanter comedere-

Gene.18. deretur. Recordare etiam, quod Abraham Patriarcha, cum singulari promptitudine suo hospitio Angelos exceperit. Si sub finem diei esset tibi numeranda summa aliqua magna pecuniarum, vt eam recuperares, nonne quàm celerrimè iter tuum percurreres? Magna tibi restat via, tempus vitæ breue est, diæta verò longa. Cùm itaq; præmium adeò sit magnum, & tempus tam breue, ne quæso sis tam piger in diuino seruitio. Vtinam tam feruenter curreres, vt possis dicere cum Propheta: Viam mandatorum tuorum cucurri Domine. *Psal.118.* Ita enim deberes velox, ac promptus esse in Dei seruitio, quasi post horam moriturus. Quidam sapiens de medicina ita dicebat; Vita breuis, ars longa, & experientia fallax. *Hippocr.* Non hoc vt discipuli non studerent medicinæ, sed vt maiori se contentione applicarent illi scientiæ, cùm vita breuis sit, & scientia difficilis.

Tu igitur feruentem te in Dei seruitio præstes, quia vita breuis est, & multum in ea, quod agatur occurrit.

CAP.

CAPVT XXVIII.

Quod non debeamus procliues esse ad determinandum.

NOlite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint, dicit S. Ioannes. Antequam aliquod opus aggrediaris, primò considera operis qualitatē, & vires tuas, ne instar cæci in opus quodcunq; frustra impingas. Multi in principio suæ cōuersionis sunt valdè feruentes, etiam citra discretionem, & tandem deficiunt in progressu, oleumq́; & operam perdunt, imò sæpè dolent de bono, quod fecerūt. S. Maria Magdalena miro quodā amore expectabat Dominum in sepulchro, non tamen propter hoc passus est Christus se ab ea tangi: sed S. Thomæ quamuis incredulo Dominus præcepit, vt se tangeret: non quod Christus in hoc vt in nulla alia re temerariè fecerit, quia non fauet Dominus operibus nimium inconsideratis, & indiscretis. dicebat S. Thomas, quod per tactum crediturus esset, & octo diebus perstitit in illo proposito, quare meruit à Domino exaudiri: Sed Magdalena nimis præcipitanter volebat irrepere ad tactum, quare

1. Ioan. 4.

Ioan. 20.

meritò repulsam passa est. Non vult Deus, vt tam præcipites feramur in determinationem, sed cum prudentia & discretione, & vt bene præmeditemur antequam aliquod opus aggrediamur.
Luc.1. Virgo mater Saluatoris salutata ab Angelo, cogitabat qualis est ista salutatio? prudentissimeq́; considerabat, antequã Gabrieli Archangelo responsum daret. Si fueris imprudens, ambulas in tenebris, & tantò maius periculum incurris, quãtò maiori impetu eo inueheris.
Deut.32. Quo igitur maiorem in te feruorem experiris, eò tibi maiori prudẽtia opus esse cogita. Scriptum enim est: gens absq; consilio, & sine prudentia. Dauid, quia nimis leuiter crediderat mendacijs Sibæ, iniustam sententiam protulit contra Misphibozeth: quam culpam contrahunt multi principes ac prælati, qui temerè nimis hominum dictis fidẽ adhibentes, alios perdunt, antequam se possunt defendere, qui grauibus aliorum iniurijs exponuntur, & nesciunt vnde hoc procedat. Errauit Nathan consulendo Dauid, sine deliberatione, vt ædificaret templum, cùm tamen supra hac re nõdum consuluisset Dominum. Redemptori nostro, cùm proponeretur

2. Reg. 19. *2.Reg.7.*

tur

retur adultera condemnanda, ille quibusdam verbis in terra scriptis hoc facere recusauit. Ne leuiter quibusuis credas, quia qui citò credit leuis est corde; Et præcipitantia consilij, comitem secum fert pœnitentiam. Ne mouearis omni vento, nec per quamuis viam ambules, dicit Apostolus: Videte itaq; quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed sapientes & prudentes, ne periculum incidatis, dicebat Dominus discipulis suis: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodũ ego feci, ita & vos faciatis. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Voluit Christus vt imitaremur ipsum, quo ad modum operãdi virtutes, quia alioquin possit opus reddi inutile, propter defectũ prudentiæ. Abraham commendatur in scriptura, qui cum multa prudentia faciebat, quod ei præceptũ erat à Domino: præcipiebat verò ei vt sacrificaret filium, & quidem de nocte, ne impediretur ab vxore, & reliquit seruos ad pedes montis ne ab illis impediretur, adeò quod iam res omninò mandata fuisset executioni, nisi Angelus eum ab opere reuocasset. Tantã Deus requirit maturitatẽ & prudentiã in rebus gerendis. Et quemadmo-

Ioan.8. *Eccl.19.* *Eccl.29.* *Ephes.5.* *Ioan.13.* *Matt.11.* *Gen.22.*

admodũ cibus, licet alioquin ſit bonus in ſe, requirit tamen aliquod cõdimentum, vt facilius comedatur, ſic niſi ſeruitia tua fuerint condita, ſale bonæ cõuerſationis & prudentię, non erũt Deo valdè grata.

CAPVT XXIX.

De timore Dei.

Pſal.2. SEruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, dicit Propheta. Qui timet Deum, nihil aliud timet. Cayn amiſſo Dei timore factus eſt timidus & puſillanimis. Quicunque me
Geneſ.4. inuenerit (inquit) occidet me. Nec mirum, ſi is, qui amittit timorem Dei, ſine quo adeò eſt debilis, omnia timeat. Quemadmodum fortis eſt, qui timet
Exod.5. Deum: hic Dei timor addidit animum Moyſi, vt iret ad Pharaonem, & ei cum magna auctoritate diceret, vt dimitteret populum Iſraheliticum. Timebat Deum Helias, ac propterea dixit Regi
3.Reg.18. Achab, non ego turbaui Iſrael, ſed tu & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim. Magna ſeueritate corripuit Helizeus Ioram Regem, & maiori etiam aucto-

auctoritate comparuit S. Pet. in concilio Iudæorum. Imò stupenda responsa solebant dare Apostoli & Sancti Martyres principibus & Regibus. Si Deum times, non est quod præterea timeas, potentior est is, qui te defendit, quàm is, qui te persequitur, sed quia non times Deum, times homines, quælibet parua infirmitas te conturbat. Rex munitus satellitio suo, non timet, & alij viuunt sine timore, quia gerunt bona arma, & sunt bene stipati, quomodo igitur vis vt illi timeant, qui Deum ipsum habent pro defensore? Si DEVS pro nobis, si DEVS protectio nostra, & scutum nostrum, non timebo quid faciat mihi homo: dicit Psalmista: Deus est protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Deus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? dicit Sapiens: Impius fugit nemine persequente, sed iustus confidit, vt leo. Sicut mundani malè viuentes sunt pleni timore: sic boni confidunt in Deo, ac propterea fortes sunt, instar leonis, vt non timeant homines. Qui timet Deum, non timet homines. multa certè bona habebis, si timueris Deum: Sed si Dei timore te non munieris, citò subuertetur domus tua.

Actor. 4.

Psalm. 117.

Psalm. 28.

Prou. 28.

Tob. 4.

Ti-

Timor Dei multum nos excitat, vt contemnamus bona temporalia. Mercator metu amittēdi vitam temporalem, diuitias in mare proijcit, quas antea adeò amabat. Si Deum times, facilè ſpernes bona temporalia, ne amittas æterna. Ingentis ſtultitiæ eſt viuere ſine timore Dei in tantis periculis, de quibus S. Paulus in Epiſtolis. *1. Cor. 2.*

CAPVT XXX.

De obedientia

QValis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei? dicebant Apoſt. Vide vt obedias ei, cui obediunt creaturæ inſenſibiles. Mirum profectò quòd homines recuſant obedire, cui mare & venti obediunt. Maximum veræ mortificationis ſignum eſt obedientia: in eo conſiſtit contemptus ſuijpſius, quando quis abnegat propriam voluntatem pro Chriſto. Ne ſit tibi moleſtum eſſe ſubditum prælato propter amorē Dei, cùm ſcriptum ſit de Domino, quod ſubditus fuerit Ioſepho & matri. Si ſpectes quod Chriſtus maior fuerit ijs, quibus obediebat, non erit tibi moleſtum obedire minoribus te. Quid lamentaris, ſi obedias homini, etiam te minori propter *Matt. 8.* *Luc. 2.*

propter Deum, si Deus obediuit creaturæ propter te? Non sit tibi molestum obedire prelato tuo, cùm diuinus amor quælibet aspera mitigare nouerit in dulcedinem. Si seram ianuæ tuæ bene vnxeris, non facilè excitabit rumorem; sic etiam, si tuæ obmurmurationi adhibueris oleum amoris Dei, perges in silentio, & cum suauitate spiritus facies ea, quæ iussus es. Dicit Dominus prælatis, qui vos audit, me audit; & qui vos *Luc 10.* spernit, me spernit; & qui me spernit, spernit eum, qui misit me. Locum Dei obtinet prælatus, & quod ille præcipit, præcipit etiam Deus, quando non præcipit ea, quæ sunt legi contraria. Facis reuerentiam Deo in ipso, & quamuis alioqui ipse non esset sanctus, officium tamen eius est sanctum. Dauid honorabat Saul, tanquam Regem & prælatum *1. Reg. 24.* suum, quamuis malus esset, & reprobatus à Deo, & quia semel tetigerat fimbriam vestimenti eius, concussum fuit cor eius à Deo: cur etiam non castigabit Deus scindentes vestes Prælatorum suorum, dum de ijs murmurant, quamuis sint peccatores, qualis erat Saul? Cōmenda eos Deo, & simpliciter obedias eis, in ijs, quæ tibi præcipiunt.

Obe-

Gen.22. Obedientia Abrahæ fuit commendata à Deo. Cùm enim promisisset ei Deus descensurum multam stirpem à filio suo Isaac, imperauit tamen ei, vt illum sacrificaret. Abraham verò nihil ei contradicens, tacuit & obediuit. committendo totum diuinæ prouidentię, quia verus obediens etiam si videatur absurdum id, quod iubet Prælatus, cùm non sit peccatum, debet tacere & obedire, captiuando suum intellectum, eumq́; submittendo iudicio Prælati. Non es tu Iudex prælati, nec scis causam, cur tibi hoc præcipit Prælatus, nec vult Deus argumentatores domi suæ, sed humiles & obedientes. Ne sis curiosus disputator circa ea, quæ tibi præcipiuntur. Principium mali præbuit Eua, nimis curiosa disputatrix præcepti Pręlati sui. Cùm etenim dæmon ei diceret, cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradysi? Si perfectè se obedientem præstitisset, respon-
Gen.2. disset; scio quod mihi præceperit Dominus, vt non comederem de fructu vetito, nec spectare ad me inuestigare causam, sed iustũ est, vt ei obediam, cùm sit Deus & creator meus, mihi sufficit cùm sim subdita scire, quod hæc sit voluntas

luntas prælati mei: sed seipsam perdidit Eua, quia ausa fuit disputationem inire cum dæmone: non est officiũ subditi argumentari, sed obedire. Tace & obedi, nec respondeas aduersario tuo, alioqui facilè superaberis. Insere voluntatem prælati voluntati tuæ, & quamuis esset malus, cùm tamen bonum sit quod præcipit, bona est insitio, quæ insita tuæ voluntati adferet copiosos meritorum fructus. Accedit quod viues in magna quiete, si fueris obediens, aufer onus propriæ voluntatis, quod adeò te defatigat, idq; impone humeris prelati, & viues quietus; magnæ.n. quietis est nullius rei curam habere, vt sic liberius te possis dare spiritui. soli prælati possunt lamentari, se non gaudere hoc priuilegio: sed mundani adhuc non capiũt quàm delicatus sit cibus sanctæ obedientiæ. hinc fit, quod etiam inter religiosos, quicunq; non gustârunt, quàm suaue sit obedire prælato propter Christũ, & amant prælaturas, fugiuntque quietem spiritus, & dum putãt se reperturos quietẽ, nullam reperiunt, cùm cõtinuis fatigentur curis & molestijs, sed soli boni obediẽtes acquirũt libertatẽ spiritus, soliq; illi viuunt in religione consolati.
Multi

Multi quidem propria voluntate deligunt sibi loca consolationis, vbi tamen postea inueniunt se omni consolatione destitutos, sed boni obedientes eunt ad terras quasi desolatas, & tamen inueniunt se ibi consolatos: breuiter deniq; non speres inuenire veram consolationem, nisi in Deo, qui habitat in solo corde obedientis. Si fueris verus obediens, vbicunq; velis consolationem accipies, quia Deum tecum habes, sed si ductus proprio sensu deligas tibi terrã aut mutas ordinem vel locum, vbi fortè speras te habiturum paradysum, inuenies tandem infernum, illuc cõferes propriam voluntatem tuam, quæ tibi crudele bellum inferet, ibi circumferes tuas cupiditates, quæ nocte dieque te vexabunt, dicit Sapiens: vir obediens loquetur victorias, omnia verò tibi subdita erunt, si modò fueris obediens.

Prou. 12.

CAPVT XXXII.

De paupertate

Matt. 6.

BEati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, dicit Dominus, Ad obtinendum custodiam vnius munitionis aut arcis plus

plus valet vna scedula nomine ipsius Domini subsignata quàm multę pecuniæ, quia visa scedula præfectus arcis statim consignabit tibi munitionem, quam tamen propter pecuniam tuam non tradet. Paupertas verò est scedula Dei, qua consequetur pauper paradysum, cùm dicat Dominus, quod pauperum sit regnum cælorum. Vt consequaris cœlum, potior tibi sit hæc scedula omnibus diuitijs temporalibus huius mundi. dicit bene Dominus, quod pauper spiritu sit fœlix, quia si is fœlix dicendus est, qui nihil cupit, certè fœlix non est diues, quia multa cupit: pauper spiritu, non habet quod non vult, & habet quantum vult, nec vult id, quod non desiderat. Talium (inquit Christus) est regnum cœlorum. Sed si diues cupit regnum cœlorum, id emat eleemosyna aliqua bona à paupere, pauper verò cœlum ingreditur, quia eius est, & diues quoque, si illud ex officina pauperis, per eleemosynam comparauerit. Gaudeat igitur pauper, cùm adeò diues sit, vt habeat regnum cœli tanquam suum, & habeat ius vendendi danti eleemosynam, sine aliquo sui iuris detrimento, nisi alioqui contempto hoc

to hoc paupertatis Euangelicæ thesauro, simul etiam renunciaret iuri & actioni, quam habet ad regnum cœlorum. Paupertas est bonum sine calumnia, negotium sine lite & quæstione: paupertas est secura possessio. Hæc illa paupertas, quæ libera est à sententia illa finali proferenda contra diuites: Esuriui, & non dedistis mihi manducare; nudus fui, & non cooperuistis me. Pauper verò, qui non habet, quod det, non est obstrictus ad hæc opera misericordiæ corporalia. Denique si paupertas non esset bona, non hoc speciatim indicasset Angelus Pastoribus dicens: Saluatorem esse inuolutum vilibus pannis in præsepio. De Domino dicit Apostolus, quod se fecerit pauperem, vt te ditaret, pauper fuit in natiuitate, & in vita, & in morte. Si vnigenitus Dei filius pauperem se fecit, propter te, cur tu erubescis fieri pauper propter ipsius amorem; bona est substantia paupertas, ad perfectam mortificationem necessarium est spernere falsas has diuitias, & auocare cor tuum ab inordinato amore illarũ, quod fieri difficulter potest, quàm diu eas possides. Elige partem tutiorem, citius peruenies ad cœlum per paupertatem,

Matth. 25. *Luc. 2.* *1. Cor. 3.*

tatem, quàm per diuitias. Pauperes Pastores è viciniori loco venerunt ad adorãdum Christũ, nimirum ex Bethleem: Sed Reges illi tres è remotiori, vt intelligas diuites maiori labore venire ad Deum quàm pauperes, desolati, & egeni. Qui habitant super terram viciniores sunt cœlo, quàm qui sunt in locis concauis: Ita viciniores sunt Deo, qui calcant mundum pedibus, quàm diuites, qui iis inseruiunt. Tu itaque gaude si potes conuersari cum Iesu Christo paupere, & nudo in cruce, vt simul cum eo potiri queas diuitiis gloriosæ resurrectionis suæ in regno cœlorum. *Luc.2.* *Matth.2*

CAPVT XXXIII.

Quod semper debeamus instare bonis operibus.

VOs autem fratres, nolite deficere benefacientes. Bonum opus nunquã frustrabitur suo pręmio. Nã si viuis in statu gratiæ, promereberis vitam æternam: Si verò non es in statu gratiæ, non tamen perdis bonum. Auri faber formans aliquid ex argento, si nõ succedit pro voto, iterum illud fundit, *2. Thess.3.*

dit, nec perdit argentum, sed tantũ formam, bene operari semper est bonum, quia licet non mereatur cœlum, eò, quod fortè sis in malo statu, ad bonum tamen faciendum acquiris habitum, vt cùm fueris in gratia, facilius opereris. Is verò, qui malè viuendo non facit opera bona, difficulter vnquam fiet bonus. Tu itaque compara tibi virtutis habitum, semper bonum operando. Qui baptizabãtur à sancto Ioanne Baptista, non acceperant gratiam virtute illius baptismi: sed disponebantur ad postea recipiendum baptismum Christi: sic quamdiu manes in peccato, non mereris vel gratiam, vel gloriam, sed lucraris hoc bonum habitus boni, vt tempore gratiæ facilius opereris: qua-
Galat. 6. re bene monet Apostolus, vt sine intermissione bene operemur, quia suo tempore metemus, quando postea gaudebimus, eò, quod in bonis operibus
Matt. 21. antea nos exercuerimus. Transiens
Marc. 11. Christus iuxta ficum non ferentem fructum, illi maledicebat, & subitò exaruit, & licet tunc temporis non esset apta ad ferendum fructum, maledixit tamen ei Dominus. Veniet etiam dies, quo te existente in statu peccati non repe-

reperientur ficus in tua arbore. id est, opera meritoria vitæ æternæ, & tamen vult Dominus, vt opereris bonum, ne prorsus competat in te finalis illa maledictio ficus aridæ. Non volebat Deus, vt illi offerretur animal immundum, nec vt foras proijceretur, sed vt venderetur, & ipsi offerretur precium eius. Animal immundum est opus factum in malo statu, licet sit moraliter bonum. Non reijcit Deus tale opus, sed bene precium eius, vt nimirum exerceas te in bonis operibus, habilemque te præstes ad bene operandum, & ad obseruandum pręcepta diuina, ad quæ obligaris. Recipit Deus bonum habitum suo debito tempore, licet opus non sit meritorium. Doctor ille, qui interrogabat CHRISTVM, quod esset magnum mandatum in lege, licet hoc rogaret tentans eum, & mala intentione: quia tamen interrogatio erat bona, meruit illuminari, cùm Dominus illi diceret, quod non esset procul à regno Dei. Nã licet nõ mereretur regnum Dei, merebatur tamen bona temporalia, & quod dæmon minus in eo haberet potestatis. Quare expedit semper bene facere, & se exercere in o-

Leuit. 2.

Marc. 12.

peribus virtutis. cùm semper bona ópera prosint, si non ad vitam æternam, saltem ad bona huius vitæ consequenda, & licet nō mereantur vitam æternam, ad eam tamen disponunt.

CAPVT XXXIII.

De perseuerantia.

Matt.10. QVI perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, dicit Iesus Christus. Multorum est incipere, paucorum perseuerare: non prodest incipere in bono, nisi perseueres. Aufer perseuerantiam, virtus carebit suo præmio, & bonum
Iob.3. opus merito. Amici Iob bène incœperunt cōsolando, & septem diebus eum complorando, sed quia in eo bono o-
Iob.41. pere non perseuerarunt, castigari me-
1.Reg.10. ruerunt. Bona fuerunt principia Saulis, sed quia non perseuerauit in bono mala morte peremptus est. Si spernis mun-
1.Reg.31. di vanitatem, mundani te persequētur: multi spreuerunt mundum, sed quia re-
Genes.19. uersi sunt retro, instar vxoris Loth, respicientes post Sodomā, fuerūt puniti, & nūc ardent in inferno. Perseuerandū igitur in bono incepto: esto fidelis vsq;
Apoc.2. ad mortem, & dabo tibi coronam vitę.

In

In extremo vestis magni sacerdotis, e- *Exod. 28.*
rant mala punica inter campanulas au
reas, quia inter fructus malum punicū
excellit, quod tanquam virtutis præmi
um, ponitur inter bona opera, quę sunt
campanæ aureæ: non ponuntur verò
vel in principio, vel in medio vestis, sed
in extremo quia dantur tantum perse-
uerantibus vsq; in finem. Arbor sæpius
transplantata rarò facit fructum: si sub
inde mutationes feceris, nec fixeris ra-
dices in bono incepto, nunquam pro-
duces fructus. virtus est habitus, cuius
actus nisi multiplices per exercitium
bonorum operum, nunquam in te ge-
nerabitur habitus virtutum. Nihil me-
lius Deo inuenitur, quare nunquam o-
mittendū tibi est seruitium, quod Deo
debes. homo sanctus in sapientia ma-
net sicut sol: nam stultus sicut luna mu *Eccl. 27.*
tatur, inquit Salomon. Noli moueri ad
omnem ventum. Multæ muscæ po *Gen. 15.*
tuissent disturbare sacrificium Abraha
mi quod obtulit Deo, sed ille nunquam
id intermisit, quantumuis sæpius in-
terpellatus: Sic etiam tu antequam eas
oratum, vanas cogitationes abige tan-
quam muscas, & perseuera in bono
quod cepisti; quid prodest ardua inci-

pere, nisi ea ad finem perducas: ne consumas tempus tuum quotidie ambulando, quia veniet mors quæ te fortè otiosum ex improuiso obruet. scribitur in Psalmo: In imagine pertransit homo. Imago depicta licet videatur velle abire, semper manet firma. Sæpe proponis te relicturum tuos malos mores, nunquam tamen id facis: statuis incedere per viam DEI, & semper manes firmus: multa incipis, nec vnquam absoluis. Dicit Dominus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno DEI. Quatuor illa animalia Apocalypseos nunquam quiescebant, sic nec tu vnquam quiescas donec absoluas opus inceptum. Vaccæ quæ trahebant arcam Dei vnitæ, non declinantes ad dexteram vel sinistram, incedebant per viam Bethsamis, & quamuis vituli conclusi matris opem deposcerent, sine intermissione tamen prosequebantur cœptum iter: tu quoque cum iugo Domini vnitus es, fer sanctam legem suam in humeris per viam virtutum, nec eam relinquas, quamuis appetitus sensuales tanquam filij naturales te prouocent, vt redeas ad seculum. Vincat virtus

Psal. 38.

Luc. 9.

1. Reg. 6.

amo-

amorem naturalem, & tanquam surdus & mutus tace, & continua opus incœptum: ad vocem verò carnis vel mūdi obsurdescas, donec peruenias in Bethsamum domum solis, lucem illam æternam, & claritatem infinitam, vbi videbis Deum.

CAPVT XXXIV.

De tentationibus.

FIlli accedens ad seruitutē Dei, præpara animam tuam ad tentationē, inquit Sapiens. *Eccl. 2.* Si pateris tentationes, ne timeas, quia non deerunt tibi arma, quibus te defendas. Si pateris tentationes, ne propterea fias pusillanimis, quia dæmon non tentat, quos habet pro suis. Pharao Rex Aegypti magis persecutus est Israelitas abire volentes, *Exod. 4.* quàm antea pacificè permanentes, vt intelligas quod aduersarius magis persequitur fugientem ab eo, quàm quietè manentem. Tentationem verò tibi mittit Deus, vt te probet vtrum perseueraturus sis in bono. Dicebat Angelus Tobiæ, quia acceptus eras Deo, *Tob. 12.* necesse fuit, vt tentatio probaret te: sed vide ne consentias tentationi. parum iuuat chalibe saxum percutere, donec

emittat ignem, nisi apponatur fomes, qui accendatur: sic quātumuis dæmon tentationis suæ chalibe quatiat saxum tuæ sensualitatis, nunquam accendetur, nisi ipsi applices consensum voluntatis.
Matth.7. Nisi fueris valde circumspectus, facilè decipieris, sunt qui ad te veniūt sub pelle ouina, cùm sint lupi rapaces, & tales qui dissimulant suam nequitiam. Hęc tentatio omnes alias superat, quia sub specie virtutum fingūt amicitiam. Pyratæ præponunt quoq; nauibus suis vexillum pacis, cùm tamen machinentur bellum, vt maiori securitate alios in seruitutem redigant: Ita dæmon quoque erigit vexilla virtutum, vt hac fraude facilius illabamur in ipsius nassam. multi decipiunt specie virtutis & vmbra.
1. Cor.7. transfigurat se dæmon in Angelum lucis, & mutat habitum, veluti vxor
3.Reg. 14. Ieroboam, quæ cùm esset ignota, conata est decipere Abiam Prophetam: tu verò noli commoueri ad omnem
1.Ioan.4. ventum, sed proba spiritum si ex Deo est: variæ sunt artes & industriæ eius, & dum putas te ab eo feriendum ex vna certa parte, tangeris ex alia, & dum putas fugere hostem, te ex improuiso opprimere conatur dæmon. Si tentatio

tatio te reliquerit, non existimes te omnino securum, quia tunc alacrius dæmon te inuadere decreuit, vt vigilantior esse discas tempore pacis quàm belli. Maius periculum subinde incurrit nauis tempore serenitatis, quàm tempestatis; quia in tempestate multa inueniuntur remedia, in securitate verò pauca. Magna est tentatio non sentire tentationem, cùm cibus ingreditur stomachum, incipit cum eo confligere, donec transmutetur in substantiam; quod si iam in se recollecto non plus cibi offeratur, cum quo confligat, tunc secum bellum gerit, ac ita per cibi defectum moritur homo: Sic etiam nisi foris habeas tentationem, intus non deerit. Ne doleas te esse tentatũ, quia tunc Deus tibi erit auxilio, modò ex tua parte facias quod debes. Si foris cessabunt tentationes, intus inuenies, qui tibi crudele bellum inferat. Interim hoc scias, quod Deus patiatur te tentari ad tuam vtilitatem: necesse est vt veniant tentationes, dicit Apostolus: Qui piè viuere *2.Tim 3.*
volunt in Christo, persecutiones pa- *2.Tim.2.*
tientur; sed non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit; quis verò erit conflictus sublato hoste? Imò non potest

esse gloria sine victoria, nec victoria sine praelio.

CAPVT XXXV.

De vtilitate tentationum.

Iacob.1. BEatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. breuis est labor tentationis, sed magnum præmium quod percipies, si modò viceris. Tu teipsum non tantum amas, quantum amat Deus. Quicquid huius permittit, hoc ad tuam vtilitatem permittit. DEVS vult te tentari ad maius tuum meritum. Tentatio est permissio diuina. Dæmon tentauit Iob, sed sola permissione Dei. Dęmon tentauit Saulem, quia tentat tantùm, vt nobis damnum inferat, sed non potest vltra quàm velit Deus, & quàm possimus sufferre. Et cùm Deus permittat te tentari ad tuam vtilitatem, tuum erit cum eius gratia inde colligere fructum. Nauta nunquã auderet se committere periculis maris, nisi speraret vtilitatem, nec agricola obijceret sese æstui & frigori, nisi emolumentum speraret. Esto, sit laborio-

Iob 1.
1.Reg.18.

ſum reſiſtere tentationi, addit tamen animum ſpes præmij, ſi modò cum Dei gratia eam ſtudeas vincere. In omnibus tentationibus intendit Deus noſtram emendationem, & vtilitatem. potuiſſet Deus homines incautos obruere diluuio ex improuiſo, ſed quia magis intendebat hominum emendationem quàm mortem, de ea re admonuit Nohe centum annis ante diluuium. Cùm decreuiſſet Deus mandare famem in terram Aegypti, permiſit Deus vt ſomniaret Pharao, & vt Ioſeph interpretaretur eius ſomnium, ac ita fieret maior eius aulæ præfectus. Quod certè Deus non feciſſet, ſi voluiſſet eos abſolutè mori fame: & quia clementiſſimus Dominus mauult vitam noſtram quàm mortem, miſit Ionam Prophetam, ad prædicandam Niniuitis pęnitentiam, antequam eos caſtigaret. Excipe igitur & tu flagella de manu Dei, tanquam à Patre clementiſſimo, cùm in ijs nihil aliud quærat Dominus, quàm tuam vtilitatem & ſalutem ſi tentationes non eſſent bonę ad ſalutem, nunquam permitteret te Deus tentari. Sed liberaliter tecum agit dando multa media ad te ſanandum, connitere totis viribus, vt cum Dei gra-

Gen. 6.

Gen. 44.

Ion. 1.

tia vincas,& finem felicitatis, ad quem aspiras, obtineas, cùm gloriosius multo sit frui corona per merita, quàm sine meritis, plus honoris impertit tibi Deus mittendo tentationes & tribulationes, quibus gloriã promerearis, quàm si eam tibi gratis conferret, non præcedente aliquo merito. Enitere vt vincas, quia breuis est labor, præmium verò æternum. an non meministi, quod cùm Rex vult aliquem præmio afficere præ cæteris, solet eum sistere loco aliquo
Daniel. 13. periculoso? Non tanti fieret Susanna, nisi prius ab illis duobus senibus fuisset tentata? Vicit verò tentationem, & promeruit honorem in terra, & coronam in cœlo, adeò vt ipsi plus emolumenti attulerit tentatio quàm damni.
Tob. 2. Permisit etiam Deus Tobiam tentari, vt posteris relinqueretur perpetua ipsius memoria, & salubre exemplum patientiæ eius.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

De remedio contra tentationes per orationem.

ORate ne intretis in tentationem, dicit Dominus. Oratio tibi sit pro peculiari scuto contra tentationem, alioqui non vinces tentationem: si in proprijs tuis viribus fiduciam reposueris, superaberis. Audi quid dicat Apost. omnia possum in eo, qui me confortat. Orandus igitur Deus, vt nos corroboret in tentationibus, cùm omnis nostra sufficientia ex Deo sit. Oratio est veluti nuncius, qui manifestat Deo nostram necessitatem, iuxta illud Prophetę: Intret in conspectu tuo oratio mea (velut cursor) in conspectu tuo Domine. Sed vt nuncius bonus sit requirit promptitudinem, ne sit adeò negligens, vt eo tardius procedente interim oboriatur aliquod damnum: requirit etiam celeritatem, ad quam obtinendam, quamlibet abijcere sarcinã est opus. Non poterit oratio tua peruenire ad cœlum, si fueris onustus occupationibus & negocijs mundanis; quia illa valdè repugnant orationi. Necessaria est mortificatio, vt priueris omni

Marc.14. *Philip.4.* *Psal.27.*

ni temporali consolatione. proinde depone omnia vanæ solicitudinis huius sæculi onera, si te vis dare orationi. Alia conditio, quæ requiritur in bono nuncio, est, vt sit dexter in negotiando, & vt bene sciat dirigere legationem, & persuadere, vt licet ab aulicis semel dimittatur, secundò aut tertiò tentet, & perseueret, donec expediatur. Non debet oratio esse tepida, sed feruens & inflammata. Et quemadmodum illi, qui cupiunt sibi præstari attentionem apud Regem, ad hoc primò gratiosissimos quosque ad Regem mittunt, qui eam sibi impetrent: ita & tu si vis audiri à Deo, vtere ad hoc fauore virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum, tanquam intercessorum, & perseuera in oratione donec audiaris. Quod verò requiratur perseuerantia, docet ipse
Luc. 11. Saluator in illa parabola, qua dicit, datos fuisse tres panes petenti, si non tanquam amico, certè tanquam perseueranti, & importunè instanti. Dominus Deus tardat gratiam, vt per tuam petitionem perseuerantem, crescat meritum tuum, & sic dignus fias dono q; tibi vult dare, quod maius est, quàm id quod petis: & quamuis Deus sciat no-
stram

ſtram neceſſitatem, vult tamen vt vtamur oratione, tanquam peculiari medio ad obtinendam liberationem à tentatione. Neceſſarium eſt vt ores, non vt Deum certiorem facias, quod antea non ſciuerit, quaſi deberet mutare ſuũ decretum, ſed tantum vt per tuam orationem vtaris ijs medijs, quibus Deus decreuit tibi dare id quod deſideras. Oratio præſentat Deo tuas neceſſitates, humiliat cor, liberat te à malis, mouet Deum in tui fauorem, & reconciliat animam tuam cum Domino. Omnia vincit bona oratio: vincit homines.
Nonne Dauid, Iudith, & Iudas Ma- *1. Reg. 18.*
chabæus hoſtes ſuos vicerunt oratio *Iudith 4.*
ne? Oratio vicit ignem, vt non com *1. Mach. 15.*
buſſerit tres pueros in eum iniectos, Vi *Daniel. 3.*
cit mare, cùm Moſe orante apertum fu- *Exod. 14.*
erit mare rubrum. Vicit tempus, cùm *4. Reg. 17.*
Elia orante plueret, cùm hoc peteret: & 40. diebus & totidem noctibus abſtineret à cibo, idque per ſolam orationem. Vicit mortem cùm Ezechias
iam moriturus, per orationem impe- *4. Reg. 20.*
trauerit multorum annorum dilationem. vicit nubes, nam & Helias ſua o-
ratione deduxit nubes maris in ter- *Ioſ. 10.*
ram. Vicit cœlum, cùm Ioſue orante
 firmus

firmus sol steterit, & cœli firmati fuerint. Imò tantę sunt virtutes orationis, vt vincat Deum, dicebat enim Deus Mosi oranti: dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, vbi Deus fatetur se retentum fuisse per orationem Mosi, cùm rogaret, vt se relinqueret. Dicit Dominus, quicquid orantes petitis fiet vobis. Cùm igitur tantæ efficaciæ sit oratio, tu in omnibus tuis tribulationibus & afflictionibus & tentationibus cape pro scuto orationem; quia per eam sine dubio acquires perfectam victoriam.

Exod. 32.

CAP. XXXVII.

De fine, ad quem homo est creatus.

Apoc. 1.

EGO sum α & ω, principium & finis, dicit Dominus Deus. Prodeunt flumina ex mari, & rursus redeunt in mare. Omnia naturaliter reducuntur ad ipsum: & quemadmodum mare vnde prodis est Deus, sic ad eum tanquam verum & summum nostrum centrum, & finem vltimum, naturaliter desiderat ire anima nostra, nec potest quiescere in aliqua re præsenti; quia Deus est vltimus eius finis, ad quē fuit
crea-

creata. Fecit nos Deus propter se, & inquietum reddidit cor nostrum, donec veniat ad eum, mirum est, quod cùm omnes creaturæ faciant illud ad quod fuerunt creatæ, solus homo sit rebellis nec procuret vt consequatur finem suum. Non creauit te Deus propter terrā, sed propter cœlum: nō te creauit vt poneres vltimū finem in rebus mundanis, sed in Deo. Bestiæ, quas creauit Deus propter terram, versus terram prospectant, incedentes quatuor pedibus: sed homo creatus propter cœlum, sursum versus cœlum faciem erectam habet. Cur igitur adeò afficeris rebus corruptibilibus? Cor tuum adijce terræ illi supernæ, vbi frueris bonis illis incorruptibilibus. Ne ita innitaris rebus istis visibilibus, sed potius sursum tende ad inuisibilia. Noli frustra diutius morari in via, sed rectà perge ad terminum & finem, ad quem es creatus, ad quid te creauit Deus, nisi vt eo fruereris? hic sit finis tuus. Dicit Psalmista: *Psalm. 14.*
Quis ascendet in montem Domini, aut quis habitabit in tabernaculo tuo? Respondet; qui non accepit in vanum animam suam, frustra quis accipit aliquid, quando eo non vtitur ad destinatum

tum sibi finem: frustra vestem emisti, si nunquam eam induis; frustra accepisti animam, nisi per eam illa obeas munera, ad quæ creata fuit. Creauit Deus memoriam, vt eis recordareris, intellectum, quo eum cognosceres, voluntatem, qua eum amares. Cùm igitur Deus te creauit, vt eum amares, eiq; seruires; æquum fuerit, vt hoc breuiusculum temporis impendas ad consequendũ hunc nobilissimum finem, ad quem fuisti creatus. Qui habet animam & viuit quasi non haberet, & qui intellectum suum & voluntatem occupat acquirendis honoribus & diuitijs, hic capit damnum in anima sua, cùm ad hoc à Deo creata non fuerit. fœlicitas est vltimus finis hominis, ad quem ordinantur omnia. Ne ponas vltimum finem tuum in rebus terrenis vllis, quia nec in honoribus, nec in diuitijs, nec in scientia, nec in aliqua re creata inuenies quietem. Auoca cor tuum à rebus terrenis omnibus: Deum solum ama, à quo & propter quem creatus fuisti. Sperne præsens sæculum, & assequeris finem desideratum. Hæc sola ratio sufficeret ad persuadendum, vt sperneres vanitatem mundi, si modò memineris

ris te creatum ad cælum; nec rebus tam vilibus afficiaris, ita demũ eris in mundo quietus, & in cælo perpetuò beatus & gloriosus.

CAPVT XXXVIII.

De tremendo Dei iudicio.

NON intres in iudicium cum seruo tuo Domine. Ecce seruus Dei erat Dauid, & tamen sciebat sibi reddendam rationem. Adeò rigorosum erit iudicium mortis, vt etiam Dauid, quantumuis Deo gratus, illud expauerit. Cùm itaq; is, qui Deo seruit, adeo timet Dei iudicium, cur illud non timeat qui seruit mundo? vt non immeritò dicat Dauid: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. Si iustus vix saluabitur: Impius & peccator vbi parebunt? Res profectò lachrymis digna, te adeò addictum esse vanitatibus, iam tamen vicinum termino, quo Deus diligenter perscrutabitur omnes conscientiæ tuæ angulos, & cordis secreta. Balthasar Rex Babylonię, in vitijs & peccatis sibi placens, subitò excepit contra se Dei sententiam, peccata nimirum eius ponenda esse in bilancem, & regnum eius diuidendum esse. Valdè

Psal. 142.

1. Pet. 4.

Daniel. 5.

dè vicina est hora, qua exigetur ratio minutissima omnium. Reuelabuntur omnia secreta cordis tui, vt castigentur in rigore iustitiæ. nihil negare poteris, quia peccata tua accusabit propria conscientia: nec vllus locus erit contendendi coram summo Rege gloriæ. Reponentur peccata tua in bilancem vnà cum omnibus circumstantijs, & beneficijs. quæ recepisti de manu Dei. tunc regnum tuum erit diuisum, vbi mandatum fuerit corpus tuum sepulturæ, vt comedatur à vermibus, & anima tua inferno perpetuò ibi arsura. Non proderit inuocare sanctos in tempore quo omnes erunt surdi, nec vllum dabunt responsum: tunc supra videbis iudicem iratum, subtus infernum apertum à dextris peccata accusantia, à sinistris dæmonum præsentiam, intus conscientiam, foris mundum ardentē. *Genes.5.* Si Adam ob exiguum cibum contra voluntatē Dei sumptum, adeò exhorruit ipsius præsentiam quid facies, aut vbi te abscondes, cùm Deus veniet ad exigendam rationem, inuenietq; te vitijs plenum, & peccatis? Nam sicut cera *Psal.67.* liquescit à facie ignis, sic peccatores peri- *Psal.31.* bunt à facie Dei scriptum est: timeat

De-

Dominum omnis terra, ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. tunc maior pœna erit subsistere corā Deo, quàm esse in inferno; quamuis tamen malus etiam separabitur à Deo, ne videat gloriam eius, vt dicit Esaias. Amatores huius sæculi non cognoscunt vanitatem in qua viuunt, donec illuminati pœna intellectus, deplorent postea extremam suam calamitatem. Sperne igitur tu ex corde vanitatē, & falsa huius mundi bona, ne te postea, & quidem frustra, pœniteat. *Esa.6.*

CAPVT XXXIX.

De pœnis eorum, qui amant vanitatem mundi.

QVantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum, dicit Dominus: Et alibi scribitur, pro mensura peccati erit & plagarum modus. si considerares quorsum debeant terminari vanitates vitæ tuæ cum multo dolore & amaritudine, abhorreres omnia ea, quibus nūc delectaris. Dicebat Iob in persona mundanorū: Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ *Apoc.18.* *Dan.25.* *Iob.6.*

præ angustia cibi mei sunt. In hac vita non volunt mundani quicquam quod displiceat ipsis; sed in altera omnia ipsis vertentur in tormentum. Hinc colligitur eos, qui viuunt in delitijs in hac vita, acerbiores postea inferni pœnas experturos. Nam quãto magis aliquid resistit suo contrario, postea si superetur tanto efficacior est operatio illius contrarij quod vicit. Magis resistit ignis ferro quàm ligno, sed cum ignis vincat vtrumque, intensior est calor in ferro, quàm in ligno: sic illi qui in hac vita non sunt passi dolores, plus tormenti sentient in inferno: sicut per oppositum boni, qui in hac vita non habuerunt quietem, sentient postea maiorem voluptatem. Potentes verò potenter tormenta patientur. desiderabunt mortem, & fugiet ab eis; mors depascet eos. herba pascit animalia & rursus crescit, sic damnati moriendo nunquam non morientur, & licet eorum membra in frusta secentur, nunquam tamen peribunt. Considera quomodo Deus tractabit inimicos, cùm amicos suos in hoc mundo tam asperè tractauerit. Dicit Apostolus: Si hominibus placerem, CHRISTI seruus non essem. Sancti

Sap.6.

Psal.48.

mar-

martyres, qui fuerunt amici Dei, multa crudelia tormenta passi sunt, & tu hic prorsus indulges voluptatibus, & adhuc putas te delitijs fruiturum in altero mundo? Dicit Heremias: Illi contra quos non erat iudicium biberunt calicem Domini, & tu eris innocens? non eris innocens, sed bibendo bibes. per meipsum iuraui, dicit Dominus quod in solitudine & opprobrio durabilis eris & sempiternus. Ne fallaris, ne decipiaris quod paupertas, dolores & tormenta, etiam bonis creata fuerint, quia hæc tanquam momentanea, non nocebunt ijs, imò eos Dominus elegit ad gloriam suam. Sed pro te sunt, & ad te pertinent, & tibi seruantur, etiamsi nunc non videantur ad te pertinere, & ea adeò fugias. Omnia tormenta, quæ martyres passi sunt, in vnũ conglobata, nec minima quidem sunt præ ijs, quæ patientur damnati in inferno. Si tibi horrori est noctè obscura versari inter corpora mortua, quomodo poteris ea semper tolerare, dum cogeris manere in tenebris inter mortuos, vbi nunquam videbis nec solem, nec lunam, nec stellas? Terra profectò miserabilis, vbi semper est nox, nunquam

Hier. 49.

Eccl. 11.

quam dies. Si nunc non potes ferre aſpectum vnius diaboli, quomodo non horrebis videre tot horribiles figuras, monſtroſa & terribilia ſpectra. Si nunc per breue tempus non potes continere digitum in igne, quomodo in æternum durabis in pœnis inferni, cuius comparatione hic ignis eſt depictus? ſi nunc exiguus quiſpiam dolor tibi adeò aſper videtur, quomodo patieris omnes infirmitates ſimul, quas patieris in corpore tuo? Omnes infirmitates quibus ſubijcitur corpus humanum, cogetur perferre damnatus in inferno, nec erit pars in eo, quæ non patietur maius tormentum, quàm vt in hac vita imaginatione concipi poſſit. Si adeò fugis malum odorem, quomodo patieris fętidiſſimos odores inferni? Si damnatus vel exiguo tempore verſaretur in terra, fœtido ſuo ore ita aërem inficeret, vt induceret magnam peſtem & contagionem in vniuerſum mundum. Si quis poneret te in lecto valdè delicato, licet adhiberet muſicam omnis generis, ea conditione, vt intra quadraginta annos inde te non moueres, nunquid ne hoc tibi foret intolerabile tormentum? Nūc quomodo patieris te ſemper eſſe ligatū cathenis igneis

igneis in aliquo inferni angulo, è quo nunquam eripiaris? viuere semper sine aliqua spe, & certò scire nullum ad futurum remedium, quid hac re miserabilius reperiri potest? Itaq; qui sine vllo fræno amas vanitates huius mundi potius quàm Deum creatorem tuum, reuertere ad teipsum, & considera hæc tã amara, & tristia tormenta, vt pœnitentia ductus contemptis hisce vanitatibus à Deo Opt. Max. libereris à perpetuis illis inferni cruciatibus, & tormentis.

CAPVT XL.

De gloria, quam acquirent, qui contemnunt vanitates mundi.

IBunt hi (mundani nimirum) in ignẽ æternum, iusti verò in vitam æternam. Quemadmodum iustus iudex tormentum æternũ inferet ijs, qui relicto Deo, prætulerunt bona huius mundi corruptibilis Domino, sic ei, qui contẽnet has mundi quisquilias dicet Saluator illud Euangelij: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Ioseph posuit ad dexteram manum Iacob Ephraim, *Matt. 25.* *Matt. 24.* *Genes. 48.*

tan-

tanquam maiorem, & ad sinistram Manassen, quia mundus honorat magnos, & contemnit paruos, sed Iacob superposuit brachia, & in benedicendo posuit manum dexteram super minorem, & sinistram super maiorem. Sic faciet Deus, cùm veniet adiudicandum, ponet manum dexteram gloriæ suæ super eos, qui fuerunt hic in sinistra aduersitatis, sinistram verò super eos, qui hic delicati fuerunt, in dextera fœlicitatis mundanæ, condemnando eos ad ignem æternum inferni. Magna est Dei bonitas, cùm ob exiguos labores adeò honoret bonos. In visione diuinæ essentiæ videbit oculus tuus quicquid possis desiderare, & tanta bona, vt dicat Apost. quæ nec oculi viderint, nec aures audierint, nec in cor hominis ascenderint, quæ præparauit ijs, qui diligunt eum. Facilius dici potest, quid nō sit vita æterna, quàm declarare eius perfectiones, quarum ibi longè maxima est copia. Abstergget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, nec dolor erit vltra, quia ibi consequentur gaudium perfectum, nec mirum, quia aderunt omnes rationes simul

1.Cor. 2.

Apoc.12.

mul conglobatæ, quæ afferant tale ac tantum gaudium. Fratres Iosephi propter Iosephum participes facti sunt lætitiæ in aula Pharaonis: quantò magis tu, qui mundum spernis, gaudebis cum DEO, eiusque sanctis. Si Magi illi tanto gaudio affecti fuerunt, cùm viderent stellam: quantò magis nos gaudebimus, dummodo possimus videre illam beatorum gloriam in cœlo? Si adeò gaudent aues ad ortum solis: quantò magis gaudebunt animæ nostræ, cùm videbunt verum solem iustitiæ, tam pulchrum & resplendentem. Si S. Ioan. Baptista gaudio repletus est, vt exultaret in vtero matris suæ, sentiens præsentiam Christi, etsi eum oculis corporalibus non videret: quantò magis gaudebimus, cùm eum videbimus facie ad faciem in gloria? Si adeò gaudebant Bethzamitæ, videntes arcam Domini, & gauisus est Zachæus, cùm exciperet Christum in domo sua: quantò magis gaudebimus nos cum ipso in æterna illa beatitudine? Si ille, qui reperit thesaurum absconditum, gaudio ingenti vendidit omnia, quæ habebat, vt eum acquireret: quanto magis gaudebit anima nostra, vbi posse-

Gen. 45. *Matth. 2.* *Luc. 1.* *1. Reg. 6.* *Luc. 19.* *Matt. 13.*

derit diuinum illum thesaurum glo-
3.Reg.1. riæ. Si adeò gaudebat populus cum Sa-
lomone, cùm esset electus in Regem, vt
resonaret terra præ iubilo: quantò ma-
gis tu gaudebis, vbi videris Regem il-
lum pacificum coronatum in altissimo
gloriæ throno. Et quamuis tantum ad
mediæ horæ spacium Deus tibi hanc
fœlicitatem impertiret, mille mundos
spernere deberes, vt tam fœlicem fi-
nem consequereris: quantò magis,
cùm ibi in æternum Deo frui licebit, si
ex animo spreueris omnem huius vi-
tæ miseriam & vanitatem. Et licet hic
mundus esset bonus, & res eius essent
magni precij, & posses in eo mille an-
nis viuere in sanitate, & in qualicun-
que sublimitate honoris, totum illud
tanquam ridiculum æstimare deberes,
præ fœlicissima illa fruitione Dei: quan
tò magis omnes huius sæculi thesau-
ros vilissimos? Illud verò est summum
& verum gaudium, quod accipitur à
creatore, nō à creatura, quod vbi perce-
peris, nemo tollet, cuius comparatio-
ne omne gaudium est dolor, omnis
suauitas est pœna, omnis dulcedo est a-
maritudo, omnis pulchritudo est turpi
tudo, & molestia. Pone igitur tibi ante
ocu-

oculos, tanquam verus Iesu Christi seruus, terram viuentium, versus quam proficisceris, & contemne mundi vanitatem, vt sic merearis & acquiras cælestem illam gloriam & æternam fœlicitatem, vbi cum Christo regnes in sæcula sæculorum.

INDEX CAPITVLORVM PRIMAE PARTIS CONTEMPTUS VANITATIS MUNDI.

De

INDEX.

INDEX CAPITVM SEcundæ partis.

Quo-

INDEX CAPITVM TERtiæ partis.

INDEX.

FINIS HVIVS LIBRI.

